

197.
Q. 162. 7

X2005021

Ya
5635

0030 (1.) 0030

JUSTITIA PROTECTIONIS SAXONICÆ
IN CIVITATE ERFFURTENSI,

SIVE
Brevis expositio indubitati Juris,

QVOD
SERENISSIMI

ELECTOR ET DVCES SA-
XONIÆ, &c. THURINGIÆ


LANDGRAVII, &c.

More majorum, & secundum Imperii Leges pacisq; publicæ
Constitutiones meritò exercent;

Ad tuendum pristinum Statum libertatemq; supradictæ Civitatis,

ET

*Tollenda ea, qua adversus veterem & legitimam Reipublica formam,
Ejusdemq; & singulorum civium salutem, parari
deprehenduntur.*



¶
Anus agitur sextus deci-
mus, cum occasione tra-
ctatum pacis universalis,
& mox ortâ inter Senatum
populumq; Erffurtensem
simultate primò, dein lite
manifestâ, simul etiam re-
crudescere cœperunt inter EMINENTISSI-
MUM REVERENDISSIMUMque ARCHI-
EPISCOPUM MOGUNTINUM & SERE-
NISSIMAM DOMUM SAXONICAM ve-
teres controversiæ, magnis olim moribus tra-
ctatæ. His tempestivè componendis multa
quidem, & quod de animo atque consilio suo
asseverare possunt Saxonix Principes, salutaria
& idonea quæ sita sunt remedia; Neque aliud
actum, quam ut aut amicè & cum perpetuæ
concordiæ spe transigeretur, aut æquo judicio
de re omni disceptare liceret. Horum utrumvis
ad hunc usque diem frustra desiderant, petunt,
postulantque Serenissimus Elector & cæteri

Saxonix Duces, qui in Thuringia Principatum
obtinent: Et res eò spectat, ut exemplo utrinq;
pernicioso, & autoritas sacratissimi nominis
Cæsarei, & jus Sereniss. Principum Saxonicor-
um periclitari videatur. Quod discrimen aut
culpam ut à se amoliantur, postquam ea, quæ ad
Cæsaream Majestatem, & ad ipsum Eminen-
tissimum Archiepiscopum Electorem, tum sæ-
pius annis hisce proximis, tum nuper admodum
scripserunt, locum non invenisse comperiunt,
publicè de jure suo eâ qua decet modestiâ com-
pellare statuerunt Augustissimum Imperato-
rem, Potentissimos Serenissimosq; Reges &
Principes, omnesq; Imperii Romano-Germa-
nici ordines, quorum interest, pacem coli, & le-
gibus atque judiciis, sine quibus pax durabilis
non est, vim suam manere: non alio, quam quo
dictum est, sine, ut nempe vel sine litis ambage,
ad amicam & æquabilem transactionem per-
veniat, aut de causa more majorū cognosca-
tur; interea verò quiescat ea, quæ jam nec
quidquam obrestantibus Principibus Saxoni-
cis

A

cis



eis, sub schemate Cæsarei nominis in Erfurten-
 ses exercetur vehementia, quâ debilitari aut pe-
 rire deprehenduntur jura Saxonica in Provin-
 ciâ Thuringiâ & civitate Erfurtenfi, & hujus
 ipsius Libertas, quatenus eam à multis seculis
 tenuit, ejusque conservandæ causâ in Saxoniz
 Ducum protectionem singularem pactis publi-
 cis ad perpetuum tempus sese contulit, aliisque
 etiam modis se illis obstrinxit. Potuisset ad de-
 monstrandam Justitiam petitionis Saxoniz,
 fusius prolixiusque, allatis magno numero ve-
 terum novorumque documentorum testimo-
 nijs, disseri; paratumque est scriptum eâ fini apo-
 logeticum, linguâ patriâ, in tempore quando
 opus videbitur edendum. At quoniam festina-
 tione alterius partis eo ventum est, ut agendi
 potius, quam scribendi, sit necessitas, brevi hoc
 velati indice, fundamenta jurium, quæ allegat
 Serenissima familia Saxonica, & quæ in clien-
 telâ ejus est Respublica Erfurtensum, designa-
 buntur; unde de origine & progressu contro-
 versiarum, & quæ sit querendi Principibus &
 civitati causâ, judicium fieri poterit; indeque
 app, rebit æquum, justum, necessarium, & curâ
 Majest. Cæsar. Imperiique ordinum dignum
 esse, audiri gravatos, & rem totam honesto le-
 gitimo, stabilique modo componi aut decidi,
 finemque & præsentibus & futuris litigijs tur-
 bisque statui.

§. 2. Omnium verò inter partes, quas nomi-
 navimus. simultatum, inimicitiarum, litium,
 seditionum, imò & bellorum, & quæ ad belli-
 corum instar motuâ aliquando gesta fuerunt,
 fons & origo latet in eâ quæstione, atque ex il-
 lius assertionem vel negationem momentum to-
 tius causæ pender, cui nempe suprema pote-
 stas, (quatenus illa secundum leges patrias sal-
 vâ majestate Imperatoris & Imperii haberi ex-
 ercerique potest,) in urbe Erfurtenfi competat;
 de hac enim vel palàm vel sub alijs vocabulis
 certarunt sæpenuerò & Moguntini Præsules,
 & Thuringiz Landgravii, (quorum jus seculo
 ab hinc quinto ad Marchiones Misnenses, Ele-
 ctoralis & Ducalis Saxonici Ducatus axiome
 postmodum insignitos pervenit,) & ipsa civitas
 Erfordiensis; Hæc ex tenuibus quidem, ut aliæ,
 jurijs pagisque aliquibus in eam amplitudi-

nem coalita, ut inter magnas & opulentas Ger-
 maniz urbes merito referri possit, etiam absque
 titulo imperialis Libertatis, cum tamen vel ha-
 buit antiquitus vel adquisivit statum, iisq; fuit
 opibus, ut à subjectione municipali non diffi-
 culter sese tueretur; exemplo aliarum Germa-
 niz civitatum, quæ Principum nomen potius
 quam vim imperandi agnoscunt, sive quod cer-
 tis conditionibus in potestatis cujusdam spe-
 ciem ab initio consenserunt, vel plenè subjectæ,
 occasione temporum, partes quasdam imperii
 arripuerunt, privilegiisque & pactionibus jus
 sunt adeptæ. Tale quidpiam in statu Erfurten-
 sium formando intervenisse ex sequentibus
 planius fiet.

§. 3. Seculo post Christum natum octavo, cum
 Thuringia sub Francorum regno esset, Saxones
 verò & à Christi fide & ab regni Franco- Ger-
 manici potestate alieni viverent: Bonifacius il-
 le sanctitatis & Episcopalis muneris memoria
 etiam hodie celebris, in extimis hæc regni
 Franconici, ut tunc fines habebat, oris, Chri-
 stianæ religionis fundamenta, aut noviter jecit,
 aut ex vicino superstitionis, quæ Saxonibus
 pertinaciter hærebat, contactu debilitata resti-
 tuit. Is, ut ex epistolis ejus ad Pontificem Ro-
 manum scriptis, ostenditur, jam illo tempore
 Erfordiam sive Erphes. fuit urbem paganorum
 nominavit, atque in eâ Episcopum volente Pon-
 tifice constituit. Nemo est tam imperitus re-
 rum illius ævi, qui putet Episcopum illum, sum-
 mum etiam imperium civile in urbe tunc acqui-
 sisse. Neque id asserere Præsules Mogunti-
 ni, qui extincto mox in incunabulis suis Epi-
 scopatu illo, vel ipsi vel per vicarios, Episcopa-
 les functiones Erfordiz, ut in reliquâ Thuringiâ
 & Hassia exerceverunt. Mansit cum Thuringia
 universa, farentibus Moguntini juris asser-
 toribus, in Francorum Regum & Imperatorum
 patrimonio civitas Erphordiensis; imò & in Sa-
 xonicorum Cæsarum ab Henrico, quem Aucu-
 pem vocant, descendendum: utque ad tempo-
 ra Conradi secundi cognomento Salici Imp-
 Nam quod ajunt Ottonem Primum Imperato-
 rem filio Guilielmo Archiepiscopo Mogunti-
 no Thuringiam & Hassiam universam donasse;
 & quam inde deducunt liberalitatē, qua Thuringiz

sin
 Pri
 Mo
 me
 fin
 dig
 mo
 pri
 & l
 sive
 à P
 bui
 rest
 rom
 epi
 rin
 itac
 cuj
 nec
 fet,
 Gu
 Pri
 cur
 vor
 der
 jan
 re,
 nis
 sta
 tra
 rict
 De
 vin
 bi v
 con
 bu
 & p
 io
 di
 Pr
 ju
 fin
 re
 Ci
 no
 cia
 qu

Thuringiæ & Hassiæ Principes ab Archiepiscopis, Principatus sui jura acceperint; ea tam diu inter Monachorum quorundam Erfurtensium commenta numeramus, contumeliosa sanè Serenissimorum Saxonum & Cattorum Principum dignitati, donec clarissima probatione aliud demonstretur, & Imperatorum, qui post Ottonem primum Thuringiam in patrimonio habuerunt, & Ducum Marchionemque, postea Comitum sive Landgravorum Thuringorum Jus omne à Præsulibus Moguntinis ortū titulumque habuisse, evincatur. Neque enim historici, qui in testimonium vocantur, aliud dicunt, quam Ottonem Imp. absente Guilielmo filium Archiepiscopum, provinciis ejus & nominatim Thuringiæ præfuisse, sive eam tenuisse. Moderate itaque judicavit Camera Imperialis Aifessor, cujus sententiam edidit Gylmannus, traditionem hanc esse incertam; cordatius tamen dixisset, nullam & vanam, neque magis veram, quam Guilielmo istum legitimum fuisse. Ottonis Primi filium ex Editha Anglicâ prognatum; accuratissimi enim Scriptores naturalem & ex Slavonica captivâ genitum memorant. Quali quidem nobilissimas provincias à parentibus dari jam illo seculo nefas & turpe, in Germaniâ certè, habebatur.

§. 4. Deest itaque Archiepiscopis Moguntinis, (quorum maximæ aliàs dignationi & potestati legitimæ aliis locis competenti, nihil detractū cupiunt Saxonæ Duces) deest inquam, titulus universalis potestatis in Thuringiam. Deest idem in Erfordiam, quæ centrum est Provinciae. At eundem optimo maximoque jure sibi vendicarunt Saxonæ Duces, ex quo Majores eorum imperatoria concessione, tot diplomatis probatâ, Comitum Provincialium nomen & potestatem adquisiverunt. Quicunque igitur in Provinciâ Thuringia sunt, cujuscunque ordinis & dignationis, post Cæsarem, Principis Provinciae potestatem revereri debent, nisi quo jure ab eâ liberi sint, planè & legitimè ostendunt. Id nunquam facere potuerunt neque Episcopi, neque Abbates, neque Comites neque Civitates; aut qui ausi sunt, id ferè asseruerunt, non unū eundemque modum imperii provincialis esse, sed sibi quoque competere, vel partes quasdam potestatis, vel exemptiones ab oneribus

3.

municipalibus; Et hæc ratione sese à provinciæ ordinibus separari contenderunt Erfurtenses, quoties nō factionibus in transversum acti verè & candidè jura & libertates suas sunt professi, nihilo segnius tamen Titulo Principis (des Landes Fürsten) tum veteri Landgravorum Thuringorum familiæ, tum Marchionibus Misnæ & Saxonæ Ducibus, qui Landgraviis successerunt, tributo. Nam quod eo aliquando & præcipuè seculo hoc nostro, abstinerunt, imò non ita pridem ann. 1646. scripto publico eum aliter sunt interpretati, ad ea referri debent, quæ sunt in contentione partium controversentiū, quo pertineat etiam, quæ illis nomine Serenissimæ familiæ Saxonæ an. 1648. & 1650. acriter fuerunt responsa, quibus opus non est, quando intra veteres pactorum terminos jura sua & Principes & civitas moderantur. Interim quod ad Archiepiscopos attinet, stat contra illos, ne vacuum derelictum supremæ potestatis fastigium sibi accessisse putent, immotum universalis Tituli ad Imperium Thuringiæ fundamentum, nullo ad hoc usque tempus, idonea in contrarium argumento labefactatum, imò omnibus Cæsarium concessionibus sive investituris, quas vocant, publicè & solenniter renovatū, & confirmatū, Huic autem innituntur, & tædus illud protectoriū, in quod recepti sunt Erfurtenses, & quæ seditionum atque turbarū tempore ad servandum civitatis statum gesserunt Principes Saxonæ, & ante Landgraviū: Et jus non intercedendi tantum pro Erfurtensibus, sed & proprio nomine interveniendi, quo usi sunt, atque etiam nunc utuntur, & in quo immeritò sese impediri queruntur, cum manifesto dignitatis potestatisque suæ detrimento, & exemplo omnibus, qui jure experiri quam manu agere malunt, nocituro. Hæc ita summatim dicta paulò distinctius explicari merentur, ut simul patefiat, asserto hoc Titulo universalis in Thuringiâ Imperii, nihil tamen detractum iri neque potestati & juribus Archiepiscopi Moguntini, neque justæ & debitæ Libertati Civitatis Erfurtensis.

§. 5. Falluntur sanè, communi quamvis sed ideo non magis tolerabili errore, qui ex vocabulis & titulis jus summæ potestatis metiuntur, & mixturam jurium ad summam potestatem constituendam concurrentium prætervident

A 2

aug

aut non capiunt: aut qui ex concessionibus & privilegiis à principe seu summa potestate concessis, plenam subjectis libertatem afferunt. Tenenda est hæc cautio, ad intelligenda, quæ ex veris & puris fontibus deducuntur, & vitandos errores, in quos non rarò præcipitant, & alieni juris appetentiâ incitantur, qui vulgaribus serviunt opinionibus.

§. 6. Landgravi Thuringiæ cum à Cæsari- bus hæreditario acciperent jure, quæ Magistrati in provinciâ summo ad tempus vitæ aut lubentix Imperatorum, antea mandabantur, jus utique universale nacti sunt ea omnia exercendi, quæ sine supremæ quam Germani omnes reveremur, Majestatis offensâ, à Principibus Imperii exerceri poterant. At diversimodæ conditionis erant illi, quos regendos accipiebant. Florebant jam in Thuringiâ vetustæ familiæ Comitum Dynastarum & Equitum, jurisdictionem in subditos suos habentium; erant civitates, quales etiam nunc sunt Mulhufa & Northufa, Imperiali libertate gaudentes; erat Erfordia cæteras potentiâ vincens, & plurimis tunc Dominis hereditariis & Magistratibus, varia potestatis mixturâ subdita. Unde Comitum *Gleichenstum* scil. & *Vicedominorum*, (divitis olim in Thuringiâ familiæ) nomina in formula juramenti solennis etiam nunc celebrantur. Inoluerant etiam feudæ consuetudines & nexus, quo ad morem illius seculi, in majus fidei & militaris operæ pignus, obligabantur Potentioribus, acceptis fundis, prædiis, hominibus, viri militares aut familiæ illustres, etiam oppida & municipia. Hoc genus juris sive contractus feudalis frequentabatur etiam in Thuringia; Nam licet plurimi, nemini quam ipsi Landgravio, ut subditi, ita etiam Vasalli jure & nomine obstricti erant; aliqui tamen vel ex officio pietatis, ut tunc persuasi erant, proprietatem bonorum seu fundorum suorum, Ecclesiis attribuebant, aut (incertum qua ratione) aliis etiam extra provinciam Illustribus. Neq; tamen propterea decedebat aliquid juri Summæ potestatis Provincialis: distinctione ut nunc, ita & tunc manifestâ, inter jus domini sive proprietatis, & jus potestatis sive territorii universalis, Id quoque jam tum intelligebatur,

quod & nunc per omnem Thuringiam Saxoniâque, aliasque regiones, qui Principem universalem habent, ut Austriam & Bavariam atque alias eodem modo servatur, ad dominum nempe illud vulgare sive hæreditarium posse accedere jurisdictionem civilem & criminalem in colonos & subditos Oppidorû & Pagorû, dein operas, census decimas reditusque alios qui hæc atq; talia haberent, vocabantur usitatâ hodiè etiam illo sensu voce **DOMINI HÆREDITARII**, (*die Erbherren*) quorum in una eademque provinciâ plurimi esse poterant atque etiam nunc sunt. Sed aliud omninò jus erat Principis sive Domini regionis, (*des Landsfürsten oder Landsherren*) qui leges ferebat, bellicæ & pacis potestatem habebat.

§. 7. Porro Dominorum illorum hæreditariorum *der Erbherren* non una eademque erat ratio. Plerique quidem pro eorum maximè temporum statu, facile agnoscebant jus Principis, atque à suis juribus distingvere poterant, in diversum planè tendentibus; Sufficiebant istis varii reditus, quos percipiebant à colonis subditisque suis à servorum conditione non multum tunc differentibus; Exercebantque in illos non eo utique cum ordine judiciario, qui postmodum invaluit, sed rudi quodam modo jurisdictioni & maleficos puniendi potestatem; Nihil aut parum hæc spectabant ad Principis universalis curam, neque nuenta ferè erat via pecuniam à provincialibus colligendi: Contentierant Principes iis vestigalibus, iisque oppidorum & pagorum reditibus, quorum cives & coloni nulli alii ad ejusmodi præstationes obnoxii erant, sed ad ipsam Cameram Principis immediatè, ut loquimur, pertinebant, à Præfectis vel decurionibus, Principis autoritate constitutis, gubernati, quique hoc respectu ad alios, qui non ipsi Principi, sed Dominis suis hæreditariis talia præstarent, *proprie* vocabantur *subditi*. At cum bellum esset gerendum præcipuè ad defendendum ab incursu hostium provinciam, aut Imperatori militandum foret. Tum Princeps non suos tantum armabat subditos, quos diximus, (*Bürger und Amtsunterthanen*) sed & ordinibus cæteris, Dominis illis

Aliis hereditariis, sive Statibus provinciarum eorumque subditis, indicebat militiam, aut ejus vice imperabat pecuniam. Tribunalia etiam in provincia habebat, ad quae deferri debebant causae majores, inter ipsos Dominos, Proceres, ac civitates versantes, aut provocatione ad Principem delatae, quod tunc quidem non ita vulgari litigandi prurigne rariusculè fiebat. Illa judicia vocabantur provincialia (*die Landgerichte*) item, *die vier Stühle* vel, quod quatuor locis exercerentur, vel quater in anno solenniter fierent; Praeside vel Principe ipso, vel qui locum ejus teneret, & ut est in historiis antiquis, duodecim Comitibus ex illustribus Thuringiae familiis assidentibus, quorum in locum consilarii postmodum successerunt. Aliud quoque Principalis potestatis evidens erat argumentum, quod qui per provinciam iter facere vellent, commeandilicentiam à Principe debebant impetrare. Id si neglexissent parum tuta habebant temporibus illis itinera, latrocinis nimirum & exactionibus variis infesta. Hoc jus commeatus sive conductus publici (*des Geleits/ hohen oder Leib-Geleits*) aliud ab eo, quod in jus ob crimen vocatis dari solet, à iudicibus ordinariis, sine armis defendi non poterat, quo factum, ut praestaretur aliquid pro praesidio & custodia illarum viarum, indeque vectigalia illa nata sunt primitus, quae constituta licet hodie pace publica, non remittunt tamen Principes provinciarum, aut qui jus illud speciatim adquisiverunt, certoque tempore etiam armatos ad deducendos vel illustres viatores, vel mercatores, & qui merces vehunt, adhibent. Hoc itaque jus viae regiae custodiendae, & armata manu per illam deducendi, qui id postularent, aut opus haberent, in Thuringia, & per civitatem Erfordensem, Landgravo sive Principi competit ab antiquo, atque etiam hodie competit.

§. 8. Cultiori jam saeculo, & ad pacis studia translatis Germanorum moribus, intentior quaedam Principatus forma aut cura fuit, erectis ad renascentium tunc Justinianarum legum requisita judiciis: auctisque commerciis, & opibus Provincialium, etiam splendor in aulis major, imperandique & parendi ordo accu-

ratiores investus est; acriori in renitentes aut rebellantes vindicta, sublatoque sensim militari priorum temporum genio & promiscuo armorum usu. Alio tamen malo afflicti coepit Respubl obortis undique litibus, de jure Principum & populi: sive de modo imperii & libertatis, cujus partem aliquam Germani omnes praeteris affectant nationibus, neque qui alicujusmodi erant potentiae proceres provinciarum, aut oppidorum habitatores occasiones negligebant, per quas vel sponte Principum vel quadam necessitate impetrarent, quae potestatem supremam moderarentur.

§. 9. Inter ordines itaque Thuringiae, (quod dissimulari, nequit, & ex publicis monumentis nemini his in regionibus ignotum est,) sedulo in id incubuerunt propositum Erfurtenses; Nam illi & civitatis potentia, & Imperatorum privilegiis variis, & autoritate Archiepiscoporum Moguntinorum, (quos Dominos hereditarios, *Erb-Herren* vocabant,) nixi, à ceteris Provinciae ordinibus jam à multis saeculis, nequidquam contradicentibus Principibus, segregare se instituerunt, ita quidem, ut nisi vi coacti neque ad Tribunalia facile sese sisterent, neque ad aerarium Principis multum conferrent, imò verò, ut omni Provinciali onere sese liberarent, cum Archiepiscopis suis aliquando societatem inierunt, quarum instrumenta civitatis nomine edita adhuc leguntur. Atque ex his seditionibus atque oppositionibus vel potissima collegerunt argumenta, quibus utuntur contra jus Principum provincialium, & Archiepiscopi, & ipsi Erfurtenses, quoties hi factionibus divisi, vel alia spe decepti, quae turbidis illis temporibus gesta sunt, pro jure interpretarentur, eaque contra morem majorum negarent, quae negare pactis jam perpetuis securi, non debuissent.

§. 10. Ceterum Principes Thuringiae non semper iis viribus & opibus fuerunt, ut cogere resistentes statim possent. Imò vel pecunia vel praestitis militaribus operis conciliati, vel tædio motuum, jam dudum mitius agere, & privilegiis variis civitatem potius devincire sibi quam rigore à se alienare sunt aggressi. Eo pertinent, quae ab Erfurtensibus producuntur diplomata duo Alberti Thuringiae Landgravii

A 3

& Mar-

& Marchionis Misniae, quem posteri de genere cognominarunt, quod odio filiorum multa multis concederet, omnemque Principatus vim variis modis resolveret. Prioris (dati An. Chr. 1280. sext. non. Octobr.) hæc sunt verba, huc pertinentia: *Insuper omnes libertates, consuetudines, gratias & honores, quos ipsa civitas Erfordiensis à nobis habuit usq; presentibus, confirmamus, & ea ab aliquibus nolumus infirmari.* Alterum ann. 1284. hæc habet: *Omnia jura libertates, gratias & honores, quos consules, cives, nec non tota universitas Erfordiensis à divis Imperatoribus, à Regibus, à nostris progenitoribus, à charissimopatre nostro, atque dilecto fratre nostro, nec non à Principibus Thuringia, à longè retroactis temporibus habuerunt, approbamus, innovamus, & præsertis scripti patrocinio confirmamus.* In hanc formam etiam alia à successoribus obtinuerunt, manifesto argumento Provincialis illius potestatis, ex qua jus privilegij, nascitur, quæque per concessionem privilegiorum non tollitur, sed probatur. Ad majorem verò & urbis securitatem & litium temperamentum protectionis pacta cum Principibus inierunt, ad certum primò tempus, certasque præstationes restricta; quorum exempla aliquot jam à tempore Alberti illius, quem nominavimus, civitas allegavit, & in scriniis suis servat. Hoc protectionis vocabulo repecto absumi jus Principis ajunt Moguntini, ad stipulante illis etiam civitate, quoties in suspicionem, nullo quidem Principum merito venit, ac si Principis titulus libertatem eorum prorsus tolleret: sed facile ostendent, ubi opus erit, Saxoniarum Duces, non id actum fœdere protectorio, ut Jus Principatus Thuringici subverteretur, multo minus ut ex eo aliquid ad Archiepiscopum perveniret, sed ut temperamento hoc utili juris & vocabuli, quæ turbis occasionem sæpè dederant, certa fierent, & utrique parti honorifica. Itaque cum temporaria illa pacta non carerent periculo, ad perpetuum tandem ventum est; Ann. 1483. Ejus pacti momentum ut eo rectius percipiatur, præfanda quædam sunt de ejus occasione & causis: dein capita illius consignanda.

§. II Dixim⁹, nō caruisse periculo temporarias cōventiones, nā ex temporū cōditione vel Prin-

cipes rigore juris sui, dū renovanda essent pacta uti volebant, vel civitas spirit⁹ altiores sumens, postulabat, quæ concedi non poterant, salva Principum autoritate. Indeque factum, ut non semel armis fuerit res gesta, in factiones itum, & fœdera, ut diximus, percussa inter Archiepiscopos & urbem, quibus bellica societas prorsus æqualis sancita fuit, contra Landgravos cum promissione amplissimâ, (quæ hodiè impetratu esset difficilima,) civitati privilegia imperatoria & regum sanctissimè iri servatam ab Archiepiscopis, quod cavetur dilertè instrumento fœderis decennalis Ann. 1372, inter Joannem Lucelburgensem Moguntiarum Archiepiscop. & Erfurtenses inito. Verum parùm feliciter hujusmodi societates urbi cesserunt, distitis enim longè Archiepiscoporum viribus, & urbe in meditullio Thuringiæ conclusâ, neque aliunde quam ex provinciâ qua stum faciente, semper reditum est ad Protectionem Saxoniam. Eam primus, quod sciamus, Wilhelmus Saxoniarum Dux nō ad certos tantum annos, sed ad tempus vitæ suæ illis promisit, diplomate ann. 1470. dato: In illo notabile est hoc exordium: *Nos Wilhelmus Dei gratia Saxoniarum Dux, Landgravius Thuringia & Marchio Misnia: Postquam honesti & fideles nostri dilecti, Senatus, Senatores, & cives urbis Erfurdia, cum urbe sua, castellis, pagis, bonis & subditis, iam aliquot annis, quorum finis erit ad diem purificationis Mariae proximum, in nostra protectione atq; defensione fuerunt, & nunc sub anni hujus exitum per legatos suos è Senatu, coram nobis comparuerunt, & nos ut Principem & Dominum suum (als ihren Lands Fürsten und Lehen Herren) postquam de feudis jam investiti essent, & juramentum dixissent, humiliter rogarunt, ut ipsos, ipsorum urbem, castella, pagos, subditos, porvò pariter ac ceteras provincias & homines nostros tueri & defendere vellemus &c.* In quo quidem sermone clarissimis verbis enunciatum, quo animo Princeps de protectione imploratus, & ad eam promittendam motus fuerit, nempe ut Princeps territorii, & Dominus feudi; nam & Princeps protectionem debet suis provincialibus, & feudi Dominus ad fidem mutuan, tutelâ atque defensione Vasallorum præstandam obligatur. Neque offendere quenquam debet, pactis promitti, quod legibus aliâs

aliàs debebatur, nam id minimè est insolitum, præsertim si causæ adsint, quæ faciant, ut aliquando de dispositione aut applicatione juris dubitetur. Tales sane non paucæ extare poterant inter Principes & civitatem: Jus etenim Domini illius vulgaris & hereditarij non pertinebat ad Principes provinciæ, nihil ferè solvebatur reditus aut census nomine; nullaque notabilis utilitas ex urbe hæc, præter vectigal illud provinciale, ad Landgravios perveniebat. Si vocaretur Senatus urbis ad concilium provinciæ, aut detrectabat venire: aut si cæteri ordines tributo juvarent Principem, immunitas Erfurtensium prætendebatur: si paulò severius cum illis ageretur, jam ad fœdera cum Archiepiscopis, aut si qui essent in Provincia malè parentes Principi, apertè spectabant. Unde mirum non erat, si contra renitentes gravius aliquid statuerent Principes, aut saltem de civitatis salute vel non cogirarent, vel segnius quam erga ordines provinciæ, morem gerentes & fidos, ad tutelam & protectionem urbis accingerentur. Itaque satius erat expressis pactis conciliari Principem civitati, & annuo stipendio præstito, (id enim pactis determinabatur,) onus defensionis sublevari pariter & necessarium fieri. Atque hunc in modum consultus olim *Hieronymus Schurfus* J. C. us ea ætate celebris respondit, nihil officere juri Principis, si pacta cum Provincialibus de protectione speciali inear. Vid. Consil. 23. Cent. 3. & Assessor Camerae apud Gylmannum, ex hypothese Principatus Moguntini in Erfurtenses, allatis rationibus, pronunciat, fœdera inter Archiepiscopos ann. 1355. ann. 1372. ann. 1398. & civitatem inita, consistere posse cum summa potestate.

§. 12. Hæc itaque erat mens Principum cum civitate paciscentium, imò hæc notabilis illorum cautio, cum apertè dicerent, se protecturos esse civitatem jure Principis, & protectionem hanc vocarent, *Singularem*; ex dispositione nempe communis juris ad certas regulas determinatam. At pactorum perpetuæ protectionis anno quo diximus, 1483. stylique in ijs adhibiti subtiliores profundioresque fortassis causæ fuere, quàm illorum tempotum hominibus convenire putentur, & colligi possunt ex con-

sideratione occasionis, quæ ad perpetuum illud pactum viam aperuit *Dieterus Isenburgicus*, Archiepiscopus Moguntinus in schismate electus pulsusque sede, & post mortem æmuli denuo electus, neutro tempore Erfurtenses æquos aut morigeros habuit. Imò his ab Imper. *Friderico III.* mandatum fuerat, ut omnia Archiepiscopi jura tanquam sequestro tenerent, quod illi impigrè sunt executi, cumque jam præcedentibus seculis magnæ illis cum Archiepiscopis controversiæ fuissent, pulcherrimam occasionem sibi nacti videbantur. Libertatem suam in hoc Archiepiscoporum certamine tantò impensius stabiliendi, cui consilio haud parum opitulabatur gratia *Wilhelmi Saxonie Ducis*, totius tunc *Thuringiæ Principis*, orbi & senis, neque fratris sui *Friderici Electoris filijs*, ob memoriam veteris simultatis, multum prospicientis; quæ omnia Erfurtenses studiosè observabant. Itaque *Dieterus* ut valido eos ariete oppugnet, suis non fidens viribus, ad conciliandum sibi *Ernestum Saxonie Electorem* se applicuit, filiumque ejus *Albertum* admodum juvenem Canonicatus honore in Cathedrali Moguntinâ ornavit, dein supremam Præfecturam eorum, qui in *Thuringia* & *Eichsfeldiana* ditione ad Metropolim Moguntinam spectant, splendido tunc Provisoris titulo ei contulit: Huic sese opponere Erfurtenses, neq; vicariū tam potentem & potissimi Electoris filium pari se posse aut debere, testabantur; Ita offensæ *Dieteri* gravio-rem aliam ob vicinam potentiam addiderunt, *Ernesti* nempe *Saxon. Electoris* cui dignitas filij cordi erat. Itaque quidem, ut hic Erfurtensibus omnibus provincijs suis, nihil mutatus patris *Wilhelmi* intercessionibus, interdiceret, aliaque in ipsorum odium & damnum faceret aut permitteret. Sic jam confidentior factus *Dieterus*, publicato scripto Erfurtenses acriter incusavit, de ijs, quæ in se atque metropolim ad id usq; tempus admisissent. Ut verò civitatis contradictiones uno veluti ictu cõscinderet, aperte professus est, omnem in Erfurtense potestatem non secus atq; in alia oppida Moguntinæ sedis, sibi & successoribus suis Archiepiscopis competere. Huic scripto itidè publicè respondit civitas, negans omnimodā illam potestatem, suaq; jura

jura enarrans: hæc gesta sunt anno 1480. interque ea decessit Dieterus: & Albertus ille Saxonie Dux Electoris filius, cum Episcopi munus per annos capere non posset, Administrator Archiepiscopatus constitutus est: metuendus sanè civitati duplici nomine, nam & repulsâ offensus erat, & paternam potentiam Metropolitanis viribus junxerat, ut idoneus maximè esset, qui ex instituto Dieteri civitatis libertatem subverteret. Statim itaque ad componendas lites pronos se ostendère Erfurten- ses, & initium negotiationis mox ab inito Alberti magistratu factum est. Obiit eo tempore Wilhelmus Saxonie Dux, & Thuringie Principatum ad Ernestum Electorem, & Albertum seniore fratrem ejus transmisit; quem illi deinde, ut alias ditiones suas dividerent, animoque paulò pressius ad res Thuringicas à patruo non sat commodè curatas, converso, de statu Reipubl. Erfurtensis seriò deliberare cœperunt. Nam civitas florens, & ab omnibus sibi metuens prolato munimenta ingentia sibi circumdederat, extructa etiam arce, in monte urbi proximo, in quo monasterium virginum fuerat, nomine S. Cyriaci: quæ munitio agrè habebat, & Moguntinos & Saxones: Pius tamen II. Pontifex sive Æneas Sylvius Erfurtensibus contra Archiepiscopum patrocinium ferebat, & pacto protectorio postea inito remissa fuit actio, quam Principes de munimento noviter excitato, moverant.

§. 13. Hoc itaque rerum statu, Pacta illa ann. 1483. inter Saxonie Principes, & urbem inita sunt, eodemque die etiam inter Administratorem Albertum & cives conventum. Mutuam sibi operam Moguntinis & Saxonis præstantibus. Nam quod illi aliquando questi sunt, Saxonicos legatos, à parente tanquam arbitros & internuncios filio additos, res suas clanculum & separatim cum Erfurtensibus egisse, jam olim negatum est, neque præter iniquas suspiciones quidquam pro firmamento illo prætextu allatum. Imò dubitari non debet, & infra cum de pactis Moguntinis ageretur, domestico testimonio probabitur sapienti consilio omnia tunc administrata, & si ea posteris moderatio fuisset, fundamenta jacta fuisse qui-

bus perpetua inter omnes pax constanter posset inniti. Neque tamen dignitatem a vitam, & jus majorum suorum ita neglexerunt Principes Saxonici, ut per pacta hæc perierit illis vis imperii ad pacem & securitatem provincie spectans, aut si, quod abominatur tota Serenissima familia, pacta hæc aliqua ratione tolli possent, non integrum illis esset jus omne, quod etiam extra pacta conventa in Thuringia atq; civitate hæc ex generali Landgravorum & Principum provincie axiomate illis deberetur. Hoc monent atque asserunt non in detrimentum Clientium suorum Erfurtensium, quibus perpetuam pactorum fidem se esse servaturos, neque illis unquam abusuros esse, & testati sunt sæpissimè, & hic quoque sollemnissimè testatum cupiunt, sed potius in favorem & utilitatem eorundem. Posset enim fieri aut artibus adversariorum, nimis jam frequentibus, aut ignavia, aut pusillanimitate, (ne quid durius dicatur,) rectorum civitatis, ut Protectionem Ducum Saxon contra infidiatores libertatis, neque Senatus, neque è civibus aliqui, implorarent, & ita obtenderetur, beneficia in vitis non conferri; neque protectores sese intromittere debere non vocatos. Huic itaque elusioni pactorum, ad interversionem libertatis Erfurtensis manifestò tendenti, opponitur non secus atque à majoribus sæpè publicè coram Imperatore & Statibus factum est, Jus illud Principis, salvis pactorum conditionibus, eum in finem, eoque casu, exercendum, ut maneat is status civitatis, qui ab antiquo fuit, & cum quo pacta hæc fœderis consistere possunt, neq; vitio vertatur Saxonie Ducibus, si hoc jure utantur, quoties animadvertunt tentari, quæ formam Reipubl. mutant, Libertatem minuunt, aut civitatem in eum dejiciant statum, in quo pacta servare non posse, quod fieret maximè, si alienæ potestati subjecta, neq; belli neq; pacis tempore præstare valeret, ad quæ pactis obstringitur.

§. 14. Jam ea, quæ diximus, tum ex verbis & mente pactorum, tum ex usu rerum ad hunc modum atque finem gestarum planiora fiunt. Pactorum autem capita hæc sunt: (1.) Principes Saxonici, urbem Erfurtensem, ejus Senatam, cives, castella, pagos, subditos, agrum, bona, eo modo

do, quo subditos suos proprios (de hâc oppositi-
one jam supra dictum est,) contra quemvis, in-
tra atq; extra provinciâ suam, tuentor atq; de-
defendendo. (2.) Arresta & confusiones judi-
ciarij ordinis cessant. Cives prout res pascit, vel
coram Senatu, vel coram Tribunali Moguntino;
Provinciales coram judicibus suis causam dicun-
to: lites civium & provincialium intra qua-
tuor menses terminantur. (3.) Commeatum
liberum & via publica usum, nisi summa sit pro-
vincia necessitas, Principes non impediunt. (4.)
Patiuntor urbem omnibus privilegiis Casareis &
consuetudinibus legitimis uti. (5.) Offensam
quam sibi fieri putarunt in munitione arcis S. Cy-
riaci, remittunt. (6.) Feuda more majorum
civitati concedunt. (7.) Quæ urbi aut civi-
bus debitorum, vel alio nomine cautæ sunt ser-
vant. (8.) Ut redditus, quos civitas extra ur-
bem in jurisdictione Saxonica habet, præstentur,
implorati curant. (9.) Jurisdictioni Senatus
& civitatis nihil detrahunt. (10.) Corpora
in via regia occisorum, salva præfectorum Saxo-
nicorum in facinorosos animadversione, Erfur-
tensibus intra jurisdictionis suæ fines tollendi &
sepeliendi jus esto. (11.) In viis illis intra ditio-
nem Erfurtensem nemini vis infertor, neq; debiti
causa manus injicitor. (12.) Venationis jus
Civitati in agris suis liberum esto. (13.) Pastu
pecorum damnum illis nemo Principum nomine
infertor. (14.) Vnusquisq; de bonis suis in loco
domicilii tributa præstato. (15.) Profugi è ci-
vitate contra jus fasq; non recipiuntor, sed ad
causam dicendam vel in urbe, vel intra Provin-
ciam Thuringiam adiguntor. (16.) Si Senatus
ad Principum judicium provocet, hi, ut de causa
amicè transigatur, curant, aut sententiam legi-
timè, modo hic præscripto, ferunt. (17.) Extra
Principatum Saxoniorum terminos Erfurten-
ses ne citantor. (18.) Civitas Principibus sin-
gulis annis in festo purificationis Mariæ mille &
quingentos florenos perpetuo solvito. (19.) Au-
xilia pro defensione provincia arcendiq; hosti-
bus, congrua & idonea cum subditis Principum
in omnibus causis, de quibus Principes jure cer-
tare & arbitrium ferre parati sunt, submitto:
si de numero questio sit, bini utrinq; arbitri dele-
cti eum definiunt, & si sententiis paribus certent,
Episcopus, qui eo tempore fuerit, Numburgensis,

calculo suo rem decidit. (20.) Damnum ar-
morum, equorum aut captivitatis, eo modo, quo
civitatibus suis Principes resarciunt, etiam Er-
furtensibus resarciunt, iisque præda æqua inter
illas portio dator. (21.) Si non defensionis sed
ultionis causâ Principes bellum gerant, Erfurten-
ses septuaginta quinque equites totidemq; pedites
cum cæteris Principum subditis mittunt. (22.)
Si uni Principum militent, ab altero non evocan-
tor. (23.) Si dum in expeditione essent, Thuringia
invaderetur, domum remeandi jus esto, inde
contra provincia hostes consilia & vires porro
jungunt. (24.) Si lis sit inter ipsos Principes,
Erfurtenses, communes utpote homines, neutri
opem ferunt. (25.) Si Principes cum hostibus
paciscantur, Erfurtensium rationem habent, aut
si hi ab hostibus aliquid patientur, illos ut semet
ipsos subditosq; suos defendendo. (26.) Ab his
pactis excipiuntur utrinq; Pontifex Romanus,
Imperator: à civitate seorsum urbes Thuringia
Imperiales, Mulhusa & Northusa, certa tamen
conditione. Archiepiscopus verò Moguntinus
excipitur eo casu, quando Erfurtenses juri coram
Principibus stare noluerint. Conventum etiam
(27.) ut controversiâ inter Principes & civita-
tem orta, bini ab utraq; parte arbitri constituantur,
qui eam componant, vel ex sententia Iuris-
peritorum decidant. Deniq; (28.) cavetur, ut
neutri parti unquam liceat à pactis hisce recede-
re, aut illis renuntiare, solutaq; sunt, ut aliunde
constat, Principibus centum & quinquaginta flo-
renorum millia, magna eo præsertim tempore
summa, neq; sine mysterio eodem die, nempe Luna
post feriam Purificationis Mariæ, subscriptum fuit
fœderis & transactionis instrumentum, quo &
alterum eum Alberto Administratore subscri-
ptum est, quod infra memorabitur.

§. 15. Quæ sit vis pacti hujus ad firmandum
jus Principum & civitatis accuratè consideran-
tes non latebit. Erfurtenses certè in omnibus,
quæ commodum atque favorem habent, subdi-
tis propriis & plenariis Principum pares facti,
in oneribus tamen determinationem impetra-
runt, ultra quàm (quod ad urbem attinet,) ob-
ligati non sunt, & privilegiis atque libertati suæ
firma dederunt fulcra & fundamenta; tum
ipsorum Principum, tum Archiepiscopi respec-
tu. Principes quoq; pensionem illam annuam

& militaria servitia pacti, dignitatis & utilitatis suæ rationem habuerunt, quod & alijs capitibus factum est: Unde Assessorem Camera, qui apud Gylmannum sententiam suam contra hanc transactionem dixit, malè habet, quod de arce S. Cyriaci loquentes superioritatem sibi tribuere videantur Principes, item, quod jurisdictionem sibi eo ipso adscribant, dum ajunt Erfurtenses extra provinciam non esse evocandos. Deinde quod cives se Judicio Principum submitterint, eoque etiam trahant ipsum Archiepiscopum, aut si is Principes judices ferre nolit, contra ipsum quoque protectione Principum uti possint, quod planum esse ait. collato articulo 26. cum 26. vid. Symphor. Gylmann. Tom. 1. Tit. 2. de materiâ convent. & reconvent. n. 144.

§. 16. De hac verò clausula, & judicio illo compromissario, quoniam nuper admodum in controversiam vocari cœpit, notari hic visum est; More veterum inter fœderatos etiam impares conditionem illam mutuo adjectam fuisse, (*wo man einander zu recht mächtig sey!*) Si alter alterius arbitrio & iudicio causam permittere voluerit: Quo non aliud dici videtur, quam illud, juri atque æquitati conveniens, si justam causam habeat fœderatus. At quoniam de jure quæstio incidere solet, facilis modus, quo dubitanti fœderato satisfieri potuit, additus est, nempe ut is ipse iudex & arbiter constitueretur. Itaque illis temporibus, cum in Germania non satis constitutis aut receptis inter Principes præsertim & potentiores alios iudicijs, manu potius quam iudicio lites dirimerentur, nihil erat consuetius, quam ut antequam arma sumeret aliquis, tanquam ex jure gentium adversarium ad disceptationem causæ provocaret: quam si is recusaret, tunc demum tanquam contra injustum, (*der sein Recht leiden wolte!*) auxilia ex fœdere ferebantur. Hoc adeò erat vulgare, ut Principes non fœderatorum tantum æqualium iudicia, sed & ordinum provincialium, atque adeò subditorum suorum luros se testarentur: Et in tabulis fœderis Moguntinorum Præsulum cum Erfurtensibus, supra allegatis, quo tempore scilicet inter illos optimè conveniebat, eadem habetur reciproca iudicij admissio. Sed in pactis hisce pro-

rectorijs id spectale est, & notatum ab Assessore Camera, uti diximus, quod eo casu, cum urbs Principum implorat auxilium, etiam contra Archiepiscopum suum, quem ille ex hypothese pro Principe urbis habet, non tantum submittere se deberet iudicio Principum, queis putat nihil juris in urbem competere, imò & forma (art. 16.) jam præscripta sit, qua in iudicio servaretur. Unde simul patet, laxè nimis asseri à propugnatoribus Moguntinæ dominationis, Exceptum esse Archiepiscopum in hoc fœdere, neque contra eum auxilia ferri à Principibus debere. Nam etsi honori ejus, ut par erat, consultum fuit, nominato eo inter exceptos: nihilominus tamen adjecta illa de iudicio Principum cautione, id manifestò inferitur, quod arguit Assessor ille, si civitas iudicium Principum admittat, Archiepiscopus verò recuset; tunc protectioni etiam contra illum locum fore, atque sic publicè testari Principes & civitatem, Archiepiscopum non esse Dominum supremum aut ordinarium civitatis, quo jure enim resistere illi, aut ad aliorum Principum iudicium eum trahere potuissent cives & subditi! Iudicium autem hoc, ex compromisso esse, non diffitentur Saxonie Principes, eamque habere vim & conditionem, quam diximus, ut qui illo uti nolit, jus det fœderato, & protectori de auxilijs statuendi, quod visum fuerit, cessante obligatione vel ferendi opem, vel parcendi alijs, qui iudicem pati nolint. Si quid verò præter hoc pactitium & singulare iudicium, juris dictionis habuerunt Principes, illi hoc quidem pacto nihil est detractum, sed ut innuit autor relationis apud Gylmannum, ei potius non uno pactorum articulo fuit prospectum.

§. 17. Constat igitur ex pactorum formula, principes Saxonicos obligari, ad tutelam urbi Erfurtensi contra quemcunque, imò & contra Archiepiscopum, quoties is juri stare nolit, præstandam, & eo quidem modo, quo ceteros subditos suos protegere ac tueri debent, id est, si implorantur, si non implorantur, & ex officio; quotiescunque nimirum viderint, vi agi, juribus civium derogari, pactis fraudem fieri, Provincie quietem turbari. Idem porro probatur publico usu rerum post pacta hæc à Principi-

cipibus gestarum, ex quibus optima sit conventionum interpretatio, præsertim si actus illi exerciti fuerint publicè nemine contradicente, aut si contradixerit, vel iudicio vel actus continuatione victo. Et hujus quidem generis actus longè clarissimos nobilissimosque, quibus Saxonici Principes, ortè in civitate seditione, omne jus suum strenuè pariter & prudenti cum moderatione persecuti sunt, prolixè narrari possent, manifesto cum documento, eandem nunc agendi rationem esse, rebus eodem ferè modo, quo tunc sese habentibus; sed ut instituimus, compendio sermonis utemur.

§. 18. Oitâ, uti diximus, anno 1509. seditione, Senatus, & qui è seditionis jam illi erant tanquam ephori additi, *electos* vocabant, Fridericum Electorem, Georgium & Johannem Saxonie Duces per legatos & literas, ut ad componendas turbas, consiliarios suos in urbem mitterent, rogarunt formula solenni, *als ihre Lands Fürsten / Schutz und Leben Herren / ut Principes, Protectores, & Dominos feudi.* Agebant id bonâ fide Principes, cum interea Ministri Archiepiscopales concitatam jam in Magistratum plebem, ad se pellicere & eo impellere cœperunt, ut misso consilio de Saxon. Principum ope imploranda, desideriorum suorum finem ab Archiepiscopo expectarent. Et cum indignatio plebis maximè orta esset ob magnum æs alienum, à Senatu clam, ut dicebant, populo contractum, Ministri, quos diximus, non aliam magis ob causam exhaustas esse ærarij vires, quam ad pecuniam illam colligendam quæ ante annos 25. Saxonie Principibus, ad impetranda pacta protectionis fuisset promissa, & dein soluta: frustra excusantibus Senatoribus, & salutare illud fuisse civitati, & non minimam pecuniæ partem Archiepiscopo, & Collegio Cathedrali numeratam, & ingentes sumtus muniendæ urbi & arci impensos fuisse. Nihilominus enim turbidissimi è populo Senatum omni spoliant potestate, aliquos etiam in vincula conjiciunt, reliqui ex optimatibus urbe profugi in Saxonie Principum oppida sese receperunt. Cum verò imploratus interea à factiosâ plebe Uriel Archiepiscopus Moguntinus, Legatos in urbem mitteret, hos Præfect⁹ Ele-

ctoris Friderici & Joannis Sax. Duc. Fridericus Thunius eques, aditu prohibuit, juramentoque obstrinxit, ut domum redirent, neque unquam sine venia Principum Erfordiam intrarent. Factum hoc suum absentibus Principibus gestum multis rationibus defendit Præfectus, ipsisque legatis prolixo sermone significavit, se animadvertere, illos seditionis precibus excitatos, res novas in urbe sua autoritate non esse composituros sed aucturos, neque obscurum sibi esse cõ tendere omnia, & ideo fore plebem in Senatum petulanter insurgentem, ut Archiepiscopo Moguntino inter has turbas major potestas, quam more majorum fas esset, concederetur, hoc non passuros esse Principes, neque ordines provincie, quibus cum consilium contulisset: Erfordiam in provincia & ditione Saxonica sitam eo ius Statu, qui ab antiquo fuerit conservandam, manente obligatione, qua devinciatur Saxonie Principibus, qui parati sint unâ cum Archiepiscopo communi & sincerâ opera turbas sedare, restituto ante omnia magistratu urbis, quem civis nullo jure ante causam cognitam, juvantibus pessimo exemplo Moguntinis ministris, autoritate spoliassent, & urbe exegissent.

§. 19. Hæc atque alia retulerunt ad herum suum legati, & is literis ad Electorem & Duces scriptis nihil contra jus Principum dixit, sed id tantum petijt, ut legati nexu juramenti liberarentur, *sibi non aliud fuisse consilium, quam ope & auxilio Saxonie Principum, quo carere civitas hoc præsertim tempore non posset, turbas componere, iudè nihil se derogaturum protectioni Principum.* (Literæ die Jovis post divi. Apostol. 1509. scriptæ exant in scriniis Principum.) Idem repetijt clarissimè, cum Mulhuse (die Galli ipso anno) interveniente Laurentio Episcopo Wurceburgensi de his rebus ageretur, Legatione amplissimâ ab utraque parte missa. Liquidum itaque nunc concessumque erat, Saxonie Duces Jure protectionis, & ut Principes, in quorum Provincia urbs sita esset, (*als die Fürsten / in deren Land die Stadt ligt*) sunt verba Moguntinorum Legatorum,) ad turbas sedandas admitti debere. At in eo discrepabant, quod Saxonici restitutionem Sena-

tus ante omnia urgebant, Moguntini verò plebis favorem quaerituri, ante restitutionem cognoscendum esse statuebant, itaque re infecta non tunc tandem, sed & Augustæ Vindelicorum in Comitibus anno subsequente 1610. habitis, discessum. Quanquam & Imperator ipse Div. Maximilianus I. & Electorale Collegium & Principes aliqui, Ulricus imprimis Wurttembergicus, omnem operam componendis his inter Electorem utrumque controversiis navarent. Negabant nempe, quidquam se esse facturos Saxoniae Principes, antequam Senatus restitutus, & exules in urbem reducti forent, captivique dimissi. Interea plebs prono in Moguntinos favore ferebatur, quod hi restitutionem Senatus impedirent, omniaque ex sententiâ seditiosorum agerent, capitali etiam supplicio affectis, quos illi vellent, & inter eos Tribuno Civitatis primario, [Ober Vierherren/] Henrico Kellero, quem tormentis immaniter excruciatum, & ad confessionem criminum, ad mortem usque postea revocatam, ad actum, seminecem in patibulum egerunt; Juramenti verò novi formula nunquam antehac usitata, Archiepiscopo civitatem obstrinxerunt, de qua postea dicitur. Imperator autem sub finem Comitiorum, Laurentio Wurceburgensi Episcopo, & Michaeli Comiti Wertheimensi negotium dederat, ut suo nomine, adscitis Electorum quatuor Legatis, & Senatoribus quibusdam ex Urbibus Norimberga & Francofurto, de controversia tota inter Principes, tum & inter Senatum & cives amicè componenda agerent, aut si id non procederet, neque iudicio Commissariorum submitterent se partes, tunc omnia ad Caesarem referrent. Interim decretum ab Imperatore, & Statibus interpositum est, ut ab armis & motibus quiesceretur, Exules in urbem restituerentur, juramenti novi Moguntinis promissi formula in suspenso esset; Captivi tam à Princip. Saxon. (nam eorum jussu aliqui è seditiosis in provincia deprehensi in carcerem erant coniecti,) quam à civitate in Caesaris manus sequestrarentur.

§. 20. Smalcaldia itaque dicto die mense Augusto ann. 1610. coram Legatis Caesareis actum est inter Archiepisc. Moguntinum, cum quo

causam jungebat Civitas & Senatus è seditiosis constitutus; & Electorem Saxon. fratremque ejus, quibus se applicuerant exules; Hic principium quaestionis à restitutione exulium & observatione decreti novissimi Imperatorij fecere Saxonici & exules, admodum questi de horrendo Kellneri supplicio, & alijs contra jus fasque gestis. Moguntini verò præjudicio hoc declinato repellere potius ab omni actione Saxoniae Duces nitebantur, asserto sibi in urbem Principatu, negato etiam, quod antea literis & legatorum voce concesserant laudaverantque protectionis Saxonicae jure. His, ut acta testantur, (quæ integra tunc quemadmodum in Scriptoriis Saxonis, ita & in aula Caesarea & Moguntia reperuntur,) opposuere Principes Saxonici Jus Landgraviatus & territorij in Thuringiâ universale, Pacta protectoria, Sacramentum præterea fidelitatis, quo urbs feudorum nomine ipsis esset obligata, negabant verò prorsus & planissimè, allegatum jus Principatus Moguntini, professi, nullum præter se esse in Thuringia Principem, (Landes-Fürsten) servaturos tamen omnia Archiepiscopi jura, dum illis modo contenti forent, civitatis administratione abstinere, & juramenti novi formulam tollerent. Eadem repetebant exules, scriptis, quorum aliqua typis vulgata sunt, & nuper admodum à Senatu urbis allegata, idiplum, quod intendebant Principes, multoties confessi; nempe Saxoniae Duces, Erfurtensium non protectores tantum & feudi Dominos, sed & Principes territoriales esse. Imo, quod apprimè notandum, ipse Senatus seditiosus quanquam Jurisperitis duobus Moguntia accitis uteretur, præsentibus iudicibus & partibus, ad objectionem, quod contra morem majorum titulum Principis des Lands-Fürsten non tribuissent Saxoniae Elect. & Ducibus, majoremque potestatem, quam fas esset, Moguntinis concederent, disertè sunt testati; se eo animo esse semperque fuisse, ut Archiepiscopum quidem Moguntinū pro domino hæreditario & iudice ordinario, Electorum verò & Duces Saxonicos, pro Principibus suis territorialibus, feudalibus Dominis, & Protectoribus haberent. (Verba sunt: Der jenigen/die zu Erfurt blieben/Meynung und Gemüth ist nicht anders gewesen/ auch nach

noch nicht/denn meinen gnädigsten Herren von
 Mainz/ als ihren Erbherren/und ordentlichen
 Richter/ de hoc infra dicendi locus erit.) mei-
 ne gnädigste Herrn vñ Sachsen für ihre Lands-
 Fürsten/ Lehen und Schirm- Herren zu halten/
 und bey ihren Chur- und Fürstl. Gn. gern das
 zu thun/ daß sie einem jeglichen nach Vermögen
 schuldig und pflichtig.) Repetit hoc Senatus
 novus seu putativus, ut à Saxonia Principibus
 & ipso Cæsare hoc tempore vocabatur, literis
 mox post finitum conventum Smalcaldiensem,
 d. exalt. Cruc. 1510, ad Fridericum & Johannem
 Saxon. Elect. & Ducem datis, quibus præfati,
 sibi immerito imputari ab exulibus quasi jus
 Principū imminerent, pacta violarent, & alijs
 se subjicerent, addunt, se omnino Duces pro
 Principibus suis laudatissimis pientissimisque
 juxta formam pactorum submissè at-
 que humiliter coluisse, idque etiam porro fa-
 cturos, & legatos suos Smalcaldia sufficienter
 hoc esse testatos. (Verb. literar. Denn wir je
 Euer Chur- und Fürstl. Gn. für unsere löbliche
 fromme Landes- Fürsten/ Schutz- uñ Schirm-
 Herren/nach Vermeldung obberährte Schieds
 und Vertrags / mit aller gebührlichen Unter-
 thänigkeit gehalten haben / und noch gedencken
 und wollen. Es haben es auch E. Chur- und
 Fürstl. Gn. auß der Handlung unsers halben
 jetzt in Schmalkalden geschehen/auch angezeig-
 ter massen und nicht anders vermercket.)

§. 21. Si tali aliqua professione unquam usi es-
 sent Erfurtenes erga Archiepiscopum, præser-
 tim in judicio & contentionis gravissimæ fer-
 vore, qualem tunc edidere, & innumeris post-
 hæc vicibus; tunc mirum non foret, tanto cona-
 tu & tam confidenter à Moguntinis jactari jus
 Principis. Neque tamen quod iterum iterumq;
 Saxonix Principes proficerent, sub hæc appel-
 latione quidquam contra veterem urbis statu,
 aut contra Jura metropoleos Moguntinæ con-
 tineri volunt, aut illis detractum iri, sed potius
 secundum pacta & observantiam antiquissimã
 omnia salva futura esse spondent atq; pollicen-
 tur; Idque jam tum coram delegatis Cæsareis
 sæpissimè sunt polliciti. (Unter andern mit die-
 sen Worten: Denn es je Ihrer Chur- uñ Fürstl.
 G. Meynung nicht ist / daß sie der Kirchen zu
 Mainz / Rechts/ das ihr von Alters her bis

auf die Empörung in Erfurt zugehört hat/ ente-
 ziehen/ es ist auch Ihrer Gnaden Gemüth nit/
 daß sie in einige andere Gerechtigkeit/denn wie
 sie und ihre Eltern dieselbigen bey denen von
 Erfurt vor dieser Irrung gehabt / und vor vie-
 len Jahren herbracht haben / eindringen / oder
 daß Ihre Chur- und Fürstl. Gn. denen von Erf-
 ert an ihren Freyheiten/ Gnaden / guten Ge-
 wonheiten/ und altem Hertommen einigen Ab-
 bruch thun wollen. Sed hæc surdis tunc auribus
 narrabantur, negotiumque commissionis Cæ-
 sareæ sine effectu fuit. Continuatis verò hoc
 modò Erfordix turbis, nec receptis exulibus,
 Principes Saxon. potestati sunt, se sibi in tempo-
 re & loco non defuturos, neque quieturos, do-
 nec innovationibus omnibus sublatis, pristinus
 urbi status rediret, & de admissis in se ac suos
 satisfaceret. Idque etiam, licet acriter obsistenti-
 bus, & Uriele & qui ei successit ann. 1514. Alber-
 to Brandenburgico Archiepiscopis præstiterunt,
 fundamento atque proposito suo constanter
 innixi, quod patet ex ijs, quæ in Comitibus Co-
 loniensibus ann. 1512. gesta, totoque hoc tem-
 pore usque ad ann. 1522. ad Divos Imperatores,
 Maximilianum, & Carolum scripto & per Lega-
 tos exposita fuere. Magna tamen erat sapientis-
 simi Principis Friderici Saxonix Electoris mo-
 deratio, egregiumque temperamentum, ne res
 ad bellum apertum veniret, quo sæpe specta-
 bant Moguntini, implorato Suevici fœderis
 auxilio, concitato etiam Uladislao Bohemix
 Rege, Neque tamen sine severitate res gereba-
 tur, nam & Albertum ab ingressu Erfordix, quæ
 is magna cum seditiosi populi expectatione pa-
 rabat, missis repetitã vice legatis scriptisque se-
 riis, prohibuit Fridericus, & Erfurtenibus nisi
 literas comæatus seu conductus speciatim
 impetrarent, annis septem provinciam intutam
 fecit; in d. ann. 1515. eorum viginti & unum, uno
 die capitis supplicio Gothæ & Ilennaci affici
 jussit, quod armati urbem egressi damnum pro-
 vincialibus dedissent, nihil motus neque minis
 neque precibus ab Archiepiscopo & civitate
 interpositis. Acrius tamen utrique ad litem
 prosequendam instigati apud Cæsarem insta-
 bant, illi quidem ut Principatum Moguntinum
 assideret, & Saxones ab his rebus abstinere ju-
 beret, Fridericus verò ut restitutionem exulum

sine armis obtineret, & formam Reipublicæ, quæ olim fuerat, nam hanc quoque facto, plebiscito mirè turbaverant seditiosi, instauraret, quod ei hæctenus processit, ut mandatum Cæsareum arctissimum impetraret contra civitatem, quâ sub pœnâ banni innovata restituere jubebatur. Ejus tamen executionem mitis Imperator ad preces Alberti Moguntini, differri voluit; & bellis Italicis, Belgicisq; negotiis mirè distractus, non eâ, quâ voluisset curâ, has controversias atque tricas complecti potuit.

§. 21. Earum itaque tædio, & superbia Moguntinorum ministrorum, qui jam dominatum urbis spe conceperant, (de qua testimonia clarorum & religiosorum eo tempore virorū produci possunt,) & moderatione Principum Saxoniorum victi Erfurtenses ad conciliationē seridè respicere cœperunt, eamque tandem impetrarunt ann. 1516. legatis magno numero non semel mense Septembri & Octobri missis. Summa conventionis fuit, ut Civitas agnosceret, se inscitia propria & aliorum instigatu præterito tempore Principes offendisse, promitteretque, id porro nunquam esse facturos, sed pacta sanctè servaturos, sublatis novitatibus omnibus, recepturos esse exules, & Saxon. Duces secundum veterem formulam, pro Principibus suis, & Protectoribus habituros. Hæc caventur literis, quas vocant reversalibus, die XI. mill. virginum 1516. scriptis; Eodemque die Principes diplomate, quod non ita pridem Senatus Erf. edidit, urbem in gratiam receperunt, & de pactorum observantia juribusque civitatis amplissimè sunt testati. Sic restituto civitatis statu cessarunt, atque abolita sunt innovata omnia. Senatus enim, quem seditiosi è quinque collegiis in quatuor reduxerant, ad antiquum modum cōstitutus est, cessantibus promiscuis suffragiis plebis, quæ ad creationem Magistratum plebiscito an. 1520. extorserant; restituti exules, abrogatum juramentum Archiepiscopo Urieli præstitum, imò & plebiscitum illud totum, typis licet an. 1513. vulgatum, & ipso facto, & statuto postea an. 1520. condito prorsus sublatum: quemadmodum Senatus urbis, edito an. 1648. contra novatores legem illam, in seditione latam, iterum tanquam ab orco reducentes, scri-

pto publicè declaravit, integramque gratiam & laudem firmati ad hunc modum status urbici ad Saxoniarum Principes retulit.

§. 23. Objecere, qui an. 1650. apud Commissarios Cæsareos Erfurti res Moguntinas procurabant, legatis Saxonis, eadem quæ jam recensuimus allegantibus, transactionem illam ann. 1516. in seditione ab exulibus factam, & à Cæsare abolitam fuisse. Sed quo fundamento, aut qua specie saltem veri hæc dicantur, nondum licuit intelligere. Non exules, (quæ enim poterant, qui nondum in urbem multo minus ad ordinem Senatorium erant restituti, quique nihil peccaverant aut innovaverant,) sed ipsi turbatores deprecati sunt apud Principes, promiserunt novata se sublaturus esse, receperunt exules; denique ne in re clara dubitetur, Legatorum Erfurt. nomina, & quæ dixerint scripserintve, edi, ubi opus est, possunt. Nec Cæsarea abolitio nunc quidem rectè allegatur, contra observantiam centum & triginta amplius annorum, quibus restitutus à Principibus, civitati status ab anno nempe 1516. usque ad an. 1650. duravit, inter gravissimas controversias, quæ inter Archiepiscopos & urbem in judicio Camerali ultra annos quinquaginta, dein in aula Cæsaris longo etiam tempore exercitæ fuerunt. Neque tamen cum omnia conquirerent, queis civitas gravaretur, unquam allegare sunt ausi procuratores Moguntini, Civitatem forma Reipubl. uti, quam Cæsar decreto abrogasset, imò ne ausi quidem sunt transactionis illius specialis anno 1516. initæ, mentionem facere, cum tamen pacta ipsa protectoria apertè impugnarent.

§. 24. Id quidem negari nequit, Divum Maximilianum I. Optimum justissimumque Imperatorem, impulsus tamen assiduis & importunis Alberti Brandenburg. Archiepiscopi precibus, statim atque intellexisset, transactionem inter Saxoniarum Duces & urbem agitari, magna vehementia mandasse, ut ab ea abstineret civitas, & quam eousque junctis cum Archiepiscopo consiliis contra Saxon. Principes & exules ab iis receptos moverat litem, prosequeretur. Certe intra dies decem, quatuor veluti impetus sustinuit transactionis negotium, nam d. 6. Oct. epistola Cæsarea ad Senatum urbis omnesque

tribus

tribus novo tunc exemplo scripta est, gravi cum admonitione, ut à pactis cum Principibus discederent. d. 10. Octobr. mandati formâ consueta idem severè injunctū fuit, addita ex more magna multa contra non parentes. d. 10. Octobr. instantius urgentibus Moguntinis, duo consilarii Cæsaris in urbem destinati sunt, partitionē exacturi, quorū alter *Martinus ab Heusenstam*, Prætor Francofurtensis impedito, incertum quâ causâ, collegâ, mox comparuit. Et die 17. Oct. sententia in aula promulgata est, qua rejiciebantur exceptiones declinatoriæ Principum, Sax. nomine dudum oppositæ, illisque causæ principalis ab an. 1510. ventilatæ tractatio imperabatur. Verum ad hæc & Principes & Senatus verè expositis transigendi causis, allegatisque iisdem, quæ hæctenus sæpius nominata fuerunt, potestatis provincialis seu territorialis, feudi, & protectionis juribus, additisque, quæ ad libertatem civitatis pertinebant, & quam nihil novi hac transactione egissent, sed veterem tantum statum instaurassent, facili negotio impetrarunt, ut omnis executio eorum, quæ tam festinanter decreta erant, suspenderetur. Imò Cæsar scriptis ad Fridericum Sax. Elect. d. 11. Decembr. anno eodem literis, cum aliqua eorum, quæ secundum petita adversæ partis decrevisset, excusatione, de re totâ amicè componenda cogitatorum se esse, postquam è Belgio redierit, promissit. Idemque postea d. 17. Martii an. 1517. ad Moguntinum Electorem scripsit. Ita quæ contra transactionem decreta erant nullum effectum habuere, & Albertus post excessum D. Maximiliani, maluit ipsam urbem iudicio seorsum persequi, quo sine mandatum illud impetravit die 29. Julii ann. 1521 à Carolo V. Imper. ex quo postea lis in Camera Imperiali, de qua infra aliquid memorabitur, cœpta est. Principes verò Saxones separatim quoque ad Cæsarem detulit, sed is causam omnem ab Aula sua rejecit, rescripto Bruxellis d. 23. Febr. 1522 dato, quo proficetur, quæ mandasset ad preces Moguntinas, non eò pertinere, ut sententiæ vim habeant, sed de re totâ vel transigenda coram Regimine Imperii tractari debere. vel ad Cameram, si litigandum foret, eundem esse. Verum ab illo usque tempore continuatis licet palam omnibus, quæ causa erant transactione an. 1516. initâ, nihil cō-

15.

tra Principes questi sunt Archiepiscopi, imò exortis postea inter Joannem Fridericum Saxon. Electorem & Erfurtenes dissidiis, Albertus Archiepiscopus cum Georgio Saxonie Duce amicè intervenit, ut patet ex Instrumento pactorum ann. 1533. Adhibuit quidem Albertus eam cautelam, ut se intervenisse diceret sub persona Archiepiscopi Magdeburgensis, (nam eam quoque habebat dignitatem,) sed eò tamen hæc valent, ut constet de scientiâ & patientia Moguntinâ; nam illa transactione an. 1533. omnia aut expressim firmantur, aut reservantur Saxonice familiæ jura, ex pactis protectoriis, & jure Landgraviatus deducta.

§. 25. Vidimus itaque & Titulum Juris Saxonici & ejusdem Exercitium; Jam ad Archiepiscopalis juris breve examen veniendi locus est. Diximus supra, idque jam hic repetimus, Archiepiscopis Moguntinis titulum non esse ad universalem & supremam potestatem neque in Thuringiam neque in urbem Erfordensem. Affirmanti, ut vulgò notum est, incumbit probatio. Vocabulis, ut jam monuimus, nemo insistere debet, qui rerum politicarum gnarus est, quamquam ne ea quidem hæc allegari possunt, quibus illa, ex qua omnium controversiarum & turbarum origo est, stabilitatur summa potestas. Erfordia in Sigillo civitatis inscribitur *Fidelis Moguntia filia*. Id ultrò conceditur. Sit filia matris Ecclesiæ, quo modo nunc quidem potest, salvis Ecclesiasticis sive Religiosis Imperii constitutionibus. Vocarunt Erfurtenes Archiepiscopum Dominum suum hæreditarium, se subditos, sed addita cautione, (nisi cum meri honoris causa in subscriptionibus puta literarum id fieri non potest,) secundum pacta & observantiam, ut postea videbimus, neque titulus ille *Domini hæreditarii*, des *Erberien* in his potissimum regionibus ex quarum more & consuetudine interpretatio sumenda est, æquipollet titulo *Principis supremi*, des *Landes Fürsten* sed distinctim potius ita vocantur, qui non sunt Provinciæ, sed certi tantum & hæreditariis districtus intra provinciam Domini. Jus enim Principatus Provincialis antiquitus hæreditarium non erat, majus tamen dominis hæreditariis, itaque etiam, qui patrimoniali post

postmodum jure Principatum sunt adepti, maluerunt provinciales Principes, quam hereditarij dici, aut utrumq; nomen conjungere, ut nominarentur *Erbo-Lands-Fürsten*. Ostendant Archiepiscopi se unquam vel hoc vel illo modo ab Erfurtenfibus nominatos; Nam quod ea fuit posterioribus temporibus (post ortas in religione discordias) autoritas Archi-Cancellarij Imperij, ut in mandatorum Cæsareorum contra Erfurtenfes exordijs is vel similis titulus adferberetur Archiepiscopis, id alijs non auditis, imò contradicentibus, fraudi esse non potest, & ostendi queunt vetustiora Imperatorum mandata, Maximiliani I. potissimum, quæ temperantius longè & per modum meræ relationis, minimè verò tanquam in re certa aut decisa, Titulos Moguntinos enarrant; sed mittamus schemata & vocabula, rem ipsam videamus.

§. 26. Ad jus Principis pertinet jus belli, fœderum & pacis, jus sacrorum, jus magistratus constituendi, jus judiciorum, tributorum; alia, &c. qui hæc omnia aut potissima habet, is Princeps est; si hæc aut magnam illorum partem habeant alijs, suo quidem jure, non ex concessu Principis, qui supremam potestatem habuit, eamque si non expressè, saltem tacitè sibi reservavit, frustra allegatur Jus Principis, neq; voce illa magis continetur jus supremæ potestatis, quam si quis olim Regi Lacedæmoniorum eandem, quam Persarum Reges exercebant imperandi rationem, ob nominis regij similitudinem tribuisset.

§. 27. De belli & fœderum jure aliqua jam dicta sunt. Bella plurima olim gessit civitas, invitis aut inscijs Archiepiscopis, fœdera non pauca cum iisdem, ut narratum fuit, iniit, quædam etiam cum alijs. Id verò, quod cum Saxoniarum Ducibus pepigit, ejus est generis, ut juxta id consistere non possit Suprema illa potestas Moguntina, viderunt hoc Archiepiscopi, & imprimis Albertus Brandenburgicus. Itaque tot laboribus sumptibusq; id potissimum egit, ut à fœdere isto abduceret civitatem. Primum hoc atq; ultimum erat, de quo in transactionū tentamentis, quæ plurimi & magni Principes eo tempore susceperunt, quærebatur. At cum persvaderi hoc minime posset sapientissimis fortissimisque Principibus Sax. actionis suæ in

Camērâ contra civitatem hoc secundum caput fecit Archiepiscopus, dum questus est, urbem contra jus supremæ potestatis, Moguntino Archiepiscopo scilicet, competentis, fœdere & tributo, & militaribus stipendijs Saxoniarum Ducibus sese obligasse, rescindi eas conventiones debere, aut nullas declarari. Respondit civitas generatim primò, & ad rem ipsam, sibi jus fœderum ab antiquo competere, dein ut dici solet, *κατ' ἀνδροπον*, fœdus sciente patiente aut consentiente Archiepiscopo initum, neque juribus ejus adversari, quæ particularia essent, neq; ad summam pertinerent potestatem. Disputatum fuit annis ferè sexaginta, & absoluta ab hoc actionis capite civitas, an 1578. additâ clausula ut juribus Archiepiscopalibus nihil præjudicaretur: Quod ultrò & Principes concedunt, & civitas præstare cupit. Antequam sententia hæc ferretur, nullo modo fatebantur Moguntini, fœdus illud perpetuæ protectionis se scientibus aut consensientibus an. 1483 initum esse, imò Legati Urielis Archiepiscopi in confesso Smalcaldiensi ann. 1510. afferebant, contradicentum fuisse solenniter, idque instrumento notatiorum doceri posse. Et pendente lite, cum Joh. Fridericus Elector Saxon, à Carolo V. Imp. in custodia haberetur, indeque opportunum tempus nactus sibi videretur Archiepiscopus Moguntinus. minis & promissis de fœdere hoc depellere civitatem est aggressus, quod patet ex actis ann. 1549. At post sententiam in Camērâ latam, jam victi solatia quærere, & ultrò fateri cœperunt, (in replicâ contra civitatem 1590. aula Cæsareâ exhibita,) consensisse in fœdus Archiepiscopos: non immeritò ergo regessit an. 1591. civitas, quo jure igitur semel placita oppugnassent. At anno 1646. 17. Junij; edita fuit & producta in locis tractatum pacis, Moguntini juris in Erfordiam assentio; in eâ iterum eò relapsus est autor, oblitus, quæ Uriel aliquando, dein Wolfgangus Archiepiscopi concesserant, ut confidenter diceret, semper contradixisse Archiepiscopos protectioni isti. At anno sequenti apologetico alio prolixiori & acerbo, variare denuò cœpit Moguntini dominatus hyperaspistes; & cum p. 61. scripsisset, consensum Archiepiscopi accessisse pacto protectorio, respiciens ad ea, quæ Wolfgangus

gus Archiepiscop. apud Cæsarem esset profes-
sus, pag. 154. hæc subjicit: (*Nach nunmehr
erlangter gnugsamer Information sey man
nicht gemeinet / dem Hochlöbl. Haus; Sachsen
den Schutz über die Stadt Erfurth in Streit
zu ziehen*) ex informatione noviter & suffi-
cienter reperta, nolle se protectionem Saxoniam
in urbem Erfurtensem in controversiam vocare,
addit reservata quædam ex instituto suo,
quæ alibi jam sunt expensa; quamquam mira-
ri meritò debeamus, quæ nova informatio post
tantum tempus, reperiri potuerit, aut qui tam
citò ea iterum fuerit perditâ. Nam anno pro-
ximè præterito 1662. cum Francofurti & Mo-
guntia conferrent cum Eminentissimi Electo-
ris Moguntini consiliarijs Legati Saxonici de
sopiendis omnibus occasione Erfurtensem e-
xortis dissidijs, præter spem atque rationem hoc
ipsum jus protectionis oppugnari cœptum est,
isq; sensus pactis protectorijs tribuebatur, quasi
non urbem ipsam; sed tantum pagos extra ur-
bem Erfurtensem, Senatus ditioni subjectos,
spectaret, quod novum, nec unquam auditum
antea glossema, ex unico atque singulari asses-
soris Cameralis effato detortum, sufficienter
fuit confutatum, & ex ijs, quæ hæctenu dicta
sunt cuivis patet, non de pagis, sed de urbe, e-
jusque jure quæsitum, actum, definitum esse.
Mansit itaque manebitque, si legibus & juri lo-
cus est, fœdus hoc, & argumento perpetuo erit
atque efficacissimo, Principem civitatis verum
& summum non esse Archiepiscopum, si ve con-
senserit in tale fœdus, nulla cautione & reserva-
tione, quam ostendere possit, adhibita; vel si in-
vitus illud fieri passus sit, imò frustra oppugna-
verit, & judicio victus discesserit.

§. 23. Ad bellica & fœderum jura referenda
quoque est munitio urbis, jus præsidij, & alia
eo pertinentia, quæ omnia publicè exercuit ci-
vitas, nullâ ad id neque venia, neque concessio-
ne Archiepiscoporum usa, imò contradictione
eorum in extructione arcis S. Cyriaci prorsus
elisâ. Idem, ut alia prætereamus, probatur
ex veteri statuto civitatis, quod originem ha-
bet ex plebiscitis, quæ vocant, *die vier Brieffe*.
Anno enim 1310. tumultuata plebs evicit, ut
quatuor viri à populo delecti tribunitiâ qua-
dam potestate Senatus decretis intercedere pos-

sent. Eâdem lege plurimâ ad statum publi-
cum pertinentia, præcipuè de bello & pace, de
tributis, de delectu militari, etiam de contro-
versijs quibusdam cum Archiepiscopo, lata &
scita fuerunt, quæ nemo dixerit municipalis
oppidi incolis convenire. Animadverterunt
hoc assertores Moguntini Principatus, idè
Petrum Archiepiscopum confirmasse ajunt ple-
biscitum istud. Sed cum neque idoneo mo-
do hoc probaverint, & jam similibus exemplis
demonstrari possit, confirmationem vocari,
quando seditiosæ plebi adstititur ab Archiepi-
scopalibus ministris, ut in omnibus seditioni-
bus factum est, præstat credere judicio dili-
gentissimi non ita pridem Moguntinorum jurium
contra Erfurtensem procuratoris L. Schvviadij.
Is in relatione, quam vocat secreta, ad Archie-
piscopum Herum suum an. 1628. de omnibus
inter illum & urbem dissidijs scripta, deplorat
negligentiam in tumultu illo an. 1310. ut putat,
admissam, quod plebiscitum illud, rudibus ver-
bis res summas continens, non majori cum Ar-
chiepiscopalis juris significatione fuerit pro-
mulgatum, nec ab Archiepiscopo ipso, illius
motus occasione Senatui & Populo fieri im-
positum; tandem verò excusat Præsulem, &
hæc subjicit: *Non dubito, quin quoad velle
Reverendissimi (qui fuit prudens & laudabilis
Princeps) nullas, sed an in jure vel posse, aut fortè
horum utroq; defectus fuerit, judicium ex alio-
rum arbitrio esto.*

§. 29. De jure sacrarum ante exortum in re-
ligionis causâ dissidium, parùm solliciti erant,
qui summam potestatem civilem habebant, aut
partes ejus; curâ religionis penè omni ad Epi-
scopos delata: Non contemnendum tamen
Erfurtensem Senatus autoritatis potestatisque
suarum argumentum habet ex eo, quod studium ut
loquimur, universale sive Academiam suis con-
stituerit non Archiepiscopi auspicijs, ut satis
probari potest ex diplomate Pontificio: nam
quæ urbi nuper controversia à Moguntinis
mota est, non majori nititur jure, quam cæteræ,
adipiscendi dominatus spe adinventæ. At
postquam reformatio in religione & Ecclesia-
stico regimine fieri cœpta est, Senatus urbis
utut aliquandiu cunctatus, commoto tamen
popu-

populo, & Joanne Saxoniae Electore autoritatem suam interponente, jam an. 1525, plenius autem an. 1528 ad formam Ecclesiarum Saxoniarum cultum publicum constituit. Quod fatetur Civitas scripto contra sententiam aulae Caesareae an. 1594. publicato, & aliàs saepius. Extant verò in scriniis Principum mandata legatorum, eorumque relationes, qui ab Electore, quem diximus missi, dubitantem Senatum, partim jussu, praecipue quod pagos sive ditionē ad urbem attinebat, partim consilijs & ope promissā reformationē impulerūt. Legatione functi sunt Fridericus Thunius, quē supra nominavimus, Joannes Planicius eques, & Philippus Melancthon. Nō exiguo verò zelo renascenti Evangelicæ doctrinæ Albertus Cardinalis & Archiepiscopus Moguntinus sese opposuit, impetratis à Caesare severissimis decretis, quae sua quoque adjuungebat. Dein Svecici foederis Principibus in partes tractis: Georgio etiam Saxoniae Duce mutationem omnem avertente & in hoc maximè ab agnato Electore dissidente. Vicit tamen, sic gubernante Deo, Electoris constantia, & populi Erfurtensis consensus; Itaque etiam ante tolerantiam publicis constitutionibus Imperii introductam, conventum est per modum induciarum, inter Archiepiscopum & Civitatem, intervenientibus quos diximus foederatis Svecicis, & consilia fecundante Joanne Saxon. Electore, an. 1530 mense Februario: *ut antiquus cultus saltem in duobus templis collegiatis, & in monasterio D. Petri integrè servaretur, in reliquis neutri parti se quidquam praescribere, restabantur arbitri.* Ita in octo templis urbis, exercitium religionis, secundum Confessionem Augustanam, eodem anno editam, non vetante amplius Archiepiscopo, & in tota ditione Erfurtensi, quae ultra 60 parochias tunc complectebatur, tantò magis fuit confirmatum, quantò major paulò post securitas ex Recessu Imperij an. 1532. annitente Saxoniae Electore impetrata fuit; Cui dein per varias mutationes transactio Passaviensis & constitutio publica anno 1555, solidiora dedit fundamenta. Inter quae Erfurtensibus & alijs ejusmodi civitatibus singulariter, & non minus, quam prorsus liberis & imperialibus cautum

fuit, in dicto recessu sive constitutione, §. 28. *sol auch 2c.* ubi statuitur: *Non licere quidem Principibus, alterius Principis subditos, in religione aliquid novaturos, contra Principem illum suum protegere; Excipi tamen ab hac regula civitates illas, qui antiquitus jus habuerit protectores assumendi, is nimirum jure suo uti licere.* Allegavit haec saepius contra Archiepiscopos, subinde ad inhibendam religionis libertatem reversos Senatus Erfordiensis, & praecipue in scripto an. 1646. dum pacis universalis negotium tractaretur edito, palam profiteretur, vi illius dispositionis urbi prospectum esse, idemque restantur acta conciliorum, an. 1555. ut responsum non mereatur, quod ad elevandum hunc protectionis Saxonicae maximum effectum, rhetoricatione proflus impertinenti regessit autor apologetici Moguntinae an. 1647.

§. 30. Potuissent Saxoniae Principes alio & generaliori jure Erfurtenses ab Archiepiscoporum persecutionibus in libertatem religionis asserere, sed quid opus erat alio vocabulo uti, quam illo, de quo inter omnes conveniebat, nempe *Protectionis*? Atque haec ipsa protectio evidens erat testimonium, civitatem non subesse municipali nexu Archiepiscopo, utpote quae ab antiquo jure habuisset, in fidem & clientelam aliorum Principum concedere. Minimè igitur ad rem pertinet, sed ex titularum & simulacrorum genere est, quando Archiepiscopi, cum desperarent de reducenda ad veterem cultum civitate, profiteri ceperunt, ex gratia & privilegio speciali à se indulgeri civibus libertatem religionis. Parum intelligens sit oportet institutorum Ecclesiae Romanae, quae existimet hanc gratiam in potestate Episcoporum esse, aut ab illa vel tantillam in religione libertatem suspendi debere. Imò verò nisi ea quam diximus urbis vetusta libertas, & patrociniij Saxonici, publica lege Imperij, & rebus judicatis probari, autoritas fuisset; jam dudum consumpta foret omnis illa gratia. Neque nunc post pacem universalem frustra disputatur, quo jure Erfurtensium autonomia in sacris nitatur. Manifestum enim jam nimis est, quid intersit inter illos, qui ex indulgentia Principis sui supremi atque ordinarij aliqualem habent inter

innumeras afflictiones religionis suæ usum; Et inter illos, qui jure vel prius suo, vel ex parte ad se pertinenti & pactis firmato, potestatem in sacris exercent. Qui discrimen hoc introspexere Erfurtenſes, atque ita obstant meditata jam a longo tempore dominationi in sacris & profanis, illi veidè digni videntur, qui apud Cæsaream Majestatem a malevolis novatorum & rebellum nomine iraducantur, ut infra clariùs explicabitur.

§. 31. Jus constituendi Magistratum diximus vel maximum esse axioma supremæ potestatis; Amovenda hinc sunt velamina & schemata: Neque enim negamus, eum quoque Principem esse, qui indulget civibus, ut nominent magistratus, atque alia ejuscemodi faciant, tanquam suo jure, sed dum lubeat Principi, neque is prohibeatur lege aut pacto, quo minus ex magna causa, & ad tollendos abusus, auctoritatem suam interponat, videatque, ne quid detrimenti capiat Respublica. Hoc jus retentum aut acquisitum fuisse, ostendi atque liquido probari oportet ab illis, qui in aliena provincia imperare volunt. Sed nihil tale ad hanc usque diem dici potuit, fidem æquis iudicibus facturum. Nam quod alleganti civitati jus suum in Magistratibus constituendis, responsum est, ex omnia habere illam ex gratiâ & tolerantia Archiepiscopi, nil aliud dicebatur, quam quod erat in quæstione. Et testes super eo glossemate olim interrogati uno veluti ore libertatem urbis adversus gratiam illam asseruerunt. Imò Uriel Archiepiscopus cum in Comitibus Augustanis an. 1510. causa exulum, de quibus supra diximus, tractaretur, & eorum restitutionem non in civitatem tantum, sed & ad munia publica Saxonici urgerent, respondit: *penes se id non stare, civitatem jure liberanti in magistratibus constituendis.* Neque aliter locuti sunt Legati ejus coram Cæsareis Commissariis, eodem quo diximus anno, cum Senatus è seditiosis constitutus, duriori sermone offendendus non esset. At pœniruit eos hujus veritatis & modestiæ, quando ad contentionem cum civitate ventum est. Nam exortis seditiosis pejori semper parti applicati Ministri Moguntini auctoritatis alicujus specimen avidè sumserunt, defendendo promovendoque illos,

qui rebus novis studebant. Ejus commatis fuere absque dubio, si quid tale ostendi possit. Petri Archiepiscopi tempore gesta, in tumultu anno 1310. & quæ de Matthia Archiep. aliqui memorant, sed manifestius in turbis an. 1509. & sequentibus annis, hoc patuit consilium. Idemque eodem prius modo reiteratum fuit an. 1647. quod meretur paulò distinctius considerari.

§. 32. Rempublicam Erfurtenſem seculis illis, cum aratores & opifices parum à servili conditione abessent, in patriciorum administratione fuisse fatentur Erfurtenſes ipsi, & documenta ejus rei vetera & indubitata habent. Mitioribus dein moribus, & aucta commerciorum & opificiorum existimatione, plebs quoque majori libertate uti, & in tribus atque curias colligi cœpit, neque diu abstinuit curâ reipublicæ: unde in plurimis civitatibus eæ exitere mutationes & mixturæ democraticæ, quæ notiores sunt, quàm ut explicari debeant. Jam ante annum 1310, Senatorum collegia quinque fuisse traduntur, unumquodque viginti quatuor viris constans; in singulis curiis sive collegiis quatuor primarij Senatores vocabantur Magistri Senatus, *die Rathsmeyſtere* / diversatamen dignatione: nam penes primum, quem superiorem Magistrum nominabant, *den oberu Rathsmeyſter* / maxima est potestas; alter gradus honoris & muneris secundo, & sic deinceps tribuebatur, quartus sive infimus ex opificibus erat; singulis annis aliud collegium succedebat, atque sic quinto quoque anno repetebatur magistratus ab illis, qui superstites essent, aut supplebatur nova electione. Quando autem sublegendi essent in Senatorum demortuorum locum alij, magistri illi quatuor omnium curiarum, exclusis non plebiantum, sed & Senatorum reliquorum suffragiis, cooptabant in Senatum, quos vellent. Hoc modo ad optimates & Senatorum amicos cognatosque, ut fieri solet, deferebantur dignitates; neque difficile creditu aut mirum est, arcto imperio plebem tunc fuisse habitam.

§. 33. Sed plebiscito illo an. 1310. vis hujus aristocratias imminuta est, relicto quidem Senatus eligendi jure, ut erat; sed constitutis è populo quatuor viris, ut constat ex literis &

statutis supra allegatis. Illi primò non secus ac Tribuni Romani, intercedebant tantum apud Senatum, quoties vellent, aut à populo juberentur. Sed contradictionum atque intercessionum pertæsi magistratus, quatuor illos viros in Senatum honorificè receperunt, ita ut singulis collegiis Senatorum, quatuor viri assiderent, eo quo quatuor Senatus magistri ordine: Primarius itaq, Senator, Consul nempe, collegã habebat primum è quatuor viris & sic deinceps, ut congregatis omnibus quinque curiis, cum viginti Magistris, totidem tribuniti illius sive quatuorvialis ordinis capita jungerentur. Et hi Erfuri nominantur *Meister und Vierz*; Qui soli antè proximas turbas, ad suffragia in creandis magistratibus admittentur. Imo primario Quatuorviro, licet eum præcederet Magister Senatus sive Consul, major ferè potestas erat; nam ærarii, & rationum publicarum cura ad eum pertinebat, claves etiam portarum in ejus erant custodia, & penes secundum quatuorvirum sigillum publicum servabatur. Id tamen temperamento non inutilli repertum fuit, ut quatuorviri illi, non ut ante eorum receptionem in curiam factitabatur, suffragiis plebis cõstituerentur, sed moderatori modo. Plebs enim denominabat ad officium quòdvis quatuorvirale res; Magistri Senatus & quatuorviri veteres ex tribus illis unum deligebant; aliquando etiam suo arbitratu alium constituebant. Hoc jus ultimi suffragii (*der Schlusswahl*) in solatium erat amissi aristocratici imperii, & temperatus hoc modo civitatis status, in se democraticus, aristocratia tamen specie regebatur. Populi ordines hi erant, & paucis mutatis adhuc sunt: qui opifices non sunt, opulentiores omnes, patricii, literati, secundum quatuor regiones urbis dispersi, (*in Viertheil*) constituunt sibi curatores quatuor regionum, *Viertheils Vormünder*; duos in singulis, quorum alter Senatorii ordinis esse debet. Opifices suæ habent collegia, ex quibus olim octo, nunc novem maximis jus comperit, Senatorem ex societate suã legendi. Infima plebs fossorum & operariorum, in suburbis habitans, & in sex collegia distincta, suos quoque sibi præficit singulis annis procuratores. Igitur Curatores

isti civitatis quadrifariam divisæ, tum mechanicarum societatum, & suburbanorum, *die Vormünder der Viertheil/ Handwerker/ und derer vor den Thoren*; jussi à quatuorviris convocabant tribules suos, & suffragia de sufficientibus, in locum decedentium, aliis quatuorviris singulis colligebant annis, eaque deferrebant ad Senatum & quatuorviros, eo quo diximus modo. Eadem convocatio populi, sed jussu magistratus, & rarissimè nec nisi in aliis gravissimis causis fiebat, Hæc formã ab an. 1310. usque an. 1647. ultra annos trecentos [excepto tantum seditionis tempore ab an. 1509. ad an. 1516.] gubernatam fuisse civitatem probandum suscipit publicè, qui novatoribus anno 1647. resistebat ordo senatorius.

§ 34. Nihil in his Magistratum electionibus, nihil in ipsius civitatis administratione juris erat Archiepiscopo aut ejus ministris: sed postquam more antiquo mense Decembri electi, aut designati ordine consueto erant quatuorviri, mense Januario verò Senatores; Magistratus munia sua solenniter mense Februario inibant, juramento prius sibi invicem præstito, formulã de quã in loco dicemus, præsentem tantum atque tacente, qui judiciis in civitate præerat Scultero Moguntino, eo fine, eoque nomine rogatus, ut videret audiretque, quomodo Senatus jurejurando ex veteri formulã obstringendus esset. Ex præsentia illã confirmationem & jus supremæ inspectionis extructum nunc eunt ministri Moguntini, invita utique Themide & Minervã. De eo viderimus, ubi de Sacramenti formulã agemus. Id verò intolerabile fuit Civitati & Principibus Saxonis, quod statim, atque coortæ sunt seditiones, Archiepiscoporum nomine jam sæpius id actum fuerit, ut status Civitatis in eorum gratiam confunderetur atque mutaretur, qui contra morem majorum auxilium & arbitrium Moguntini implorarent, nullo ad tot seculorum observantiam, & jus inde quæsitum habito respectu.

§ 35. Ita [ut prætereamus antiquiora, historiarum potius, quàm actorum fide nitentia] Jan. 1510. ut diximus, a seditionis formula regiminis excogitata est, quã omnis vis Imperii magistratui adimebatur, translato ad plebem jure toto

suffra-

suffragiorum in creandis, tam Senatoribus quam Quatuorviris. Huic instituto hominum male feriatorem statim tunc adhaerere ministri Moguntini, & ut tribunitia haec rogatio tandem an. 1513 praeferebatur, typis etiam vulgaretur, variis artibus effecerunt. Transactione vero uti narravimus, inter Saxoniae Principes & Civitatem an. 1516. inita, tota haec formula concidit, & paulo post statuto omnium ordinum expressim est sublata; inter alia enim intoleranda etiam continebat perpetuam rebellionis contra Principes Saxon. commemorationem; ut populum ipsum postmodum proterviae suae poeniteret, neq; Moguntini de lege hac reducenda verbulum facerent, etsi, ut diximus an. 1521, gravissima actione civitatem adorirentur, omnia congerentes, quibus offensum esse Archiepiscopum querebantur. Inter quae vel primum locum meruisset, si dixissent civitatem regiminis formam ab Archiepiscopo, (quem pro Principe & Domino supremo urbis venditabant,) vel constitutam vel approbatam, injussu ejus, & ad libitum aliorum sustulisse; sed ut diximus, altum de hoc silentium, cum tamen latere non posset Moguntinos ministros, quae in urbe gererentur, tamque evidens esset mutatio, ut Senatus urbicus sub initium novissimorum motuum, probaverit, plusquam quinquaginta capitibus ab illa populari forma, post annum 1516. esse discessum.

§. 36. Haec cum ita sint, nihilo veracundius tamen ex orientibus turbis an. 1647. actum est. Nam postquam simulas, quae inter magistratum & populum multis de causis gliscebant, levi occasione prorupisset, incensoribus novarum rerum statim a Sculteto Moguntino suppeditata fuit seditiosa illa regiminis formula, cujus memoria jam prorsus interciderat; imò quod merito miramur, Eminentissimus Archiepiscopus eodem tempore ad fastigium hoc dignitatis evectus, suggestione illa motus, subscripsit in seditiosae plebis gratiam decretum aliquod, quo formulam illam tanquam legitimam & salutarem confirmabat, Ea quidem cum festinatione, ut credibile sit, ne inspectum quidem satis esse plebiscitum deterrimum & turbulentissimum, in quo creatio magistratum contra omnem

morem ad vulgum trahitur, & veteris seditionis memoria nulla necessitate revocatur. At turbidissimi quique e populo, numero viginti quatuor, quibus nulla res neque spes, & inter eos nonnulli ex trivialium Scholarum paedagogis jam demagogi facti, tum opifices otiosi, & pauperrimi, & alii ejuscemodi farinae homines, quibus loquacitas & impudentia pro sapientia est, ex plebiscito illo novam Rempublicam formabant, totidemque verbis, quae in eo continebantur, postulabant.

§. 37. Compendio enarrari non potest, quis fuerit progressus harum turbarum, quam indignè habiti fuerint Saxoniae Principes, scriptis & legationibus concordiam inter partes tentantes, quibus artibus, suppressio quidem formulae illius nomine, nihilominus ad ejus praescriptum multa fuerint in vecta; territis & punitis vario praetextu, qui pro veteri statu Reipubi. liberius loquebantur. Prolixiorem omnino expositionem illa desiderant, summa haec est; Archiepiscopus Moguntinus, cum judicium arbitriumque ejus non agnosceret Senatus, (tum quod in id ejusmodi causis, quae Reipubl. tangerent, nunquam fecisset, tum quod jam praedictio gravatus esset, approbato, nullo quidem jure, ne cognitione quidem qualicunque praevia, seditioso illo plebiscito;) Jurisdictionem [quam sibi competere dicebat,] Caesareae Majestati detulit, ratus hac specie, & urbem terreri & suum jus salvum esse posse. A Caesare itaque, cum praesertim idem ab initio a Senatu male consulto postulatū fuisset, delegati commissarii, & quidem iidem, qui jam ad executionem eorum, quae pace publica statuta erant, in urbem rogatu Archiepiscopi missi erant, is enim querebatur, sibi belli tempore multa fuisse interversa. Commissarii assistentibus plebi Moguntinis nihil non fecerunt, quod populo gratum, Senatui molestum esset; Renitente vero hoc acriter, atque in primis jus creandorum magistratum defendente, intrusus est ad consulatum tanquam per transactionem, e seditiosis acerrimus: Et quatuorvir ejusdem anni ille ipse erat, cujus impulsu plebs omnem hunc tumultum concitaverat. Ex alia parte qui Senatus auctoritatem, maximè propugnabat Consularis unus, dignitate dejectus, remotus

etiam à munere Syndicus, aliaque ejuscemodi gesta; inter quæ fuit dissolutio collegii seniorum, quod antea in rebus maximis omnem consilii publici vim habebat, & absque quo nihil secretum aut magnum in Republ. quacunque geri potest. Ita ad transactionem an. 1650. ventum est, iniquissimis Senatus & Reipubl. conditionibus, non decisâ tamen quæstione de creandis magistratibus, sed ad cognitionem ulteriorem dilata. Interim dum Senatus & curiæ quatuor extra regimen constitutæ, sibi possessionem vindicant & magistratus more pristino creare parant, insecutæ sunt prohibitiones Cæsareæ, dilataque nec quidquam querentibus senatoribus Magistratum creatio ad annum usque 1655. continuato interim Imperio illi Senatus ordini, quem Commissarii Cæsarei ad placita Moguntina constituerant.

§. 38. Ut verò Senatoribus veterem morem tuentibus, spes omnis adimeretur, missi an. 1655. Commissarii alii, jam non ut priores è Principum imperii ordine, sed alter aulæ Cæsareæ Consiliarius, alter Fiscalis Spirensis, qui jam in priori commissione Remy. Episc. Bambergensis vices sustinuerat, commendatus ad id absque dubio ab Archiepiscopo Electore, cui etiam à Consiliis secretioribus esse dicitur. Horum prima & maxima cura fuit, quæstionem de creatione Magistratum ad plebis desideria terminandi. Et processit res non difficulter, intrusis quos diximus in Senatû juscem factionis hominibus & ejectis adversariis. Ita contra trecentorum annorum observantiam, [si seditiosos annos novè ab an. 1509. demas] transactum inter Senatum & plebem, ut ad quatuorvitorum electionem ultimam, [Die Schlusswahl] plebs per ordines, quos supra diximus digesta, quinquaginta duo suffragia haberet, cum consularibus & quatuorviris veterum curiarum, triginta duo competere, addita sunt nova & dura alia, imprimis quatuorviro primario, veluti dictatoria potestas tributa antè eminentior quædam tribunitia, ejus quidem autoritatis ut sua intercessione omnia Magistratum decreta impedire, & quovellet, populum trahere posset. Comitibus habitis creatus est à latante plebe. Quatuorvir primarius, *Volmarus Limprechtus*, quæstor tunc ple-

bejus, & paulò ante Ludimagister, unus è tribus pædagogis, factionis popularis antesignanis, quorum unus jam ad Consulatum, ut diximus, ejectus erat, tertius in pureum se conscientia scelerum præcipitavit. Eodem anno, quæ reliqua fuerant, ex actionibus Archiepiscopi contra civitatem ordinata & decreta sunt à Commissariis, parum contrariante Senatu.

§. 39. Plebs dehinc annis quatuor magistratû Limprechtu continuavit. Surrogati ei anno quinto iterum homines illi æovi, qui an. 1650. magistratum gesserant. At cum oblitum viderentur, quorum favore proveci essent, offensam contraxerunt, & anno sequenti Limprechtus, quod ex statuto civitatis quinto quolibet anno ordo renovaretur, deberi sibi aiebat quatuorviratum, neque obstare, quod eundem annis quatuor continuis gessisset, id enim factum libera populi electione, neque beneficium hoc plebis sibi fraudi esse debere, ut ab ordinario jure anni sui quinti depelleretur. Sed repulsam tulit, suffecto in locum ejus alio, totaque civitas paucis exceptis commota, diem illi scribere cœpit multorumque capitum reum fecit. Itaque supplicante Limprechtu & omnia, ut postea a patuit offerente, obtentum est facillimè ab Archiepiscopo, ut jam tertia Legatio Cæsarea decerneretur, magno civitatis onere, quæ in priores duas ingentes sumtus fecerat, ultra quinquaginta imperialium millia. Metu hujus Commissionis, & spe transigendi de iis, in quibus Archiepiscopus sibi nondum satisfactum aut decretis an. 1650. contraventum esse dicebat, atque sumtus lucri faciendi, Civitas delegatos misit ad ipsum Eminentissimum Electorem, Sualbaci tunc agentem qui omnia & obtulerunt & cõsenserunt, quæ salvâ sanè libertate urbis vix poterant consistere, sed cum neque Limprechtu restituere, neque preces publicas pro Emin facere vellent, id enim caput erat postulatorum, cœptum est Commissionis negotium, à Consiliario aulæ Cæsareæ, *D. Iohan. Christophoro, Barone à Schmidburg.* (collega enim ejus, Fiscalis *Philippus Werner* & *Emmericus*, morbo detinebatur,) cujus is processus fuit, de quo nunc reverentiâ Cæsarei nominis silere constitimus, exitus verò talis, ut Limprechtus omni
actione

actione liberatus ad quatuorviratum hujus & sequentis anni perveniret; Illi verò Consul & Quatuorvir, quorum instinctu repulsum tulisse dicebatur, & qui ei suffectus fuerat, Senatu aut ordine moti gravi mulctâ præterea plecterentur; Aliis increpatione seriâ & comminatione in ordinem redactis; Ordinâtâ denique ad annos quatuor ex *Limprecht* dictamine magistratuum serie, & extincto ad infausstæ seditionis an. 1509, exemplum, quinto Senatorum collegio.

§ 40. Gesta hæc sunt ann. 1660, exemplumq; editum, neminem in civitate, qui non placeret Eminentissimo Moguntino, ad honores pervenire aut metu liberari posse. Quo motu consules duo, alter ann. 1650, alter 1655, curia abstinere iussi, *Iohannes Hallenhorst* & *Henningius Kniphof*, respicere ad gratiam Archiepiscopi cœperunt, quam amiserant acri pro libertate urbis olim navata opera, Eorum alter *Hallenhorst* ann. 1662. Sualbaci humilissima deprecatione rescriptum obtinuit, quo jubebatur Senatus illi restituere consularem dignitatem & salarium refundere, quod durante suspensione amiserat, aliisque vice ejus functis jam solutum erat. Tale quidpiam Senatui urbis ab Archiepiscopis mandari res erat prorsus nova & antehac nunquam audita, nec causa suberat salarium restitueret Respubl. ei, qui procurante Archiepiscopo ipso à functione erat remotus. Cautius postmodum *Kniphof* supplicante actum, Is enim *Cæsari* ab Archiepiscopo denominatus, restitutionis mandatum ex aula impetravit; tale quoque pro *Hallenhorsto* interpositum est. Sed res eodem recidebat, nam & *Cæsarea* Majestas in his quidem causis: non nisi ex prorogata jurisdictione Moguntina cognoscebat; & nominatio illa sufficere poterat ad exemplū, quid possent Archiepiscopi, in destituendis & constituendis Magistratibus Erfurtensibus.

§ 41. Ex his, quæ diximus, facillimum intellectu est, ante has innovationes neque quidquam juris ad creandum Magistratum Archiepiscopis fuisse, neque in motibus hisce aliud magis quæsitum esse, aut nunc quæri, quam ut hæc potestas ad Archiepiscopum perveniret, simulacro electionis plebi relicto. Nihil enim

facilius est Potentioribus, quàm in statu populari vel turbas cedere, vel aliorum culpa exortis, ad stabiliendum dominatum abuti, & in urbe, cui tot controversiæ cum Archiepiscopis intercedunt, singulis annis occasio sumi potest, de Magistratuum culpa conquerendi, eosque jure illo noviter quæsito, aut factione adversariorum opprimendi, aut si renitantiur, prompto paratoque ex aula *Cæsarea* commissionum remedio, sumibus ipsius civitatis in ordinem redigendi.

Hæc quoniam ad intelligendum statum *Reipublicæ* & eorum, quæ hæctenus cum gravi molestia *Sereniss. familiae Saxon.* gesta sunt ordinem faciunt, quantum fieri potuit breviter sunt narrata. Interim ea fuit modestia Principum Saxoniarum, ut reverentia *Cæsarei* nominis, quod immerito quidem transactionibus & decretis illis an. 1650, 1655, 1660. obtentū fuit, professi sint, se toleraturos ferè omnia, quæ in formâ *Reipubl.* fuerunt innovata, dummodo in posterum quies esset, & vel his utcumque constitutis acquiesceret Archiepiscopus, civitatemq; quoad cætera in jure creandorum aut abrogandorum Magistratuum, aliisque libertatis suæ ecclesiasticæ & politicæ exercitiis non amplius turbaret, eaque de re promissum daret, planum atque stabile, consentiente Collegio Cathedrali.

§ 42. De judiciis non facilis est definitio, quæ ratione illa ad summam pertineant potestatem, aut subjectis concedi possint. Neque ignotum est, quam variæ sint in *Germania* distinctiones & mixturæ in re judiciariâ. Suprema provocatio ab omnibus ferè inter majestatis jura refertur. Sunt tamen Imperii Principes, à quibus nulla est provocatio, qui nihilominus Majestatem Imperatoris & imperii agnoscunt. Et salvum est eatenus jus supremi omnium Principis, etiam quoad jurisdictionem, ut ei tunc liceat cognoscere, si Magistratus jus dicere gravatis detrectet. Intermedius verò Judiciorum & provocationum gradus, sepè non arguit jus Principis; provocatur enim alicubi ad eum, qui non est Princeps, ut ut sit iudex. Itaque etsi à Senatus Erfurtensis sententiis inter cives latis provocatum fuerit ad curiam Moguntinam, dein ad *Cæsarem*.

farem; ex eo tamen solo obstantibus alijs non inferitur jus supremæ potestatis. At judicia, quæ Archiepiscopi nomine intra urbem, (in pagos enim civitatis nulla est ei jurisdictio) exercentur, multò minus ad jus Principis concludendum sufficiunt, tum quod novum non sit, Episcopis jurisdictionem in civitatibus etiam imperialibus competere, tum quod totus ille judiciarius ordo in urbe Erfurtensi perpetuis pactis mirè temperatus sit & partitus. Nam Judices Moguntini in causis civilibus quamquam non omnibus cognoscunt, Senatus exequitur; qui sententiâ judicum illorum gravatum se putat, provocat ad Senatum, atque hic vel probat vel improbat sententiam, appellatione porrò ad curiam Archiepiscopalem Moguntinæ, si quis volet, deferendâ. In criminalibus, Senatus omnia agit usque ad capitalem sententiam ejusque executionem, hæc ad Moguntinos quodammodo pertinet, carnificem subministrantes, sed potestas reliqua & manus militaris penes Senatum est. Si corpore non luendum sit crimen, nullum Moguntinis jus est: Nullum iisdem, in causis, quas vocant, voluntariæ jurisdictionis, aut præceptis extrajudicialibus, licet id sæpè tentaverint, & novissimis transactionibus non spernenda ad id jecerint fundamenta. Fatetur sanè is, quem supra allegavimus Schvwindius omnem potestatem, veramque auctoritatem judiciariam ad Senatum urbis spectare, mercenario tantum, quod vocant, officio juridicæ Moguntinis relicta. Carcer, lictores, manus militaris, omnia denique, quibus tueri jurisdictionem suam magistratus potest, tum quod longè maximum est, jus legum ferendarum & disciplinæ publicæ prorsus in Senatus sunt potestate, ex observantia antiquâ & irrevocabuli pacto, ut frustra sit trita illa excusatio, de tolerantia & gratia Archiepiscopali, quod non tantum testimonijs Senatus in Camera Imperiali productis, sed & domesticis, à Moguntia peritis, in loco & tempore demonstrari potest.

§. 43 Denique jurisdictio in civitatem universam, aut Senatus collegium, nulla est Archiepiscopis, liceat eam quoq; sibi deberi asseruerint, & unum alterumque exemplum, quo ci-

vitæ ultrò ad cognitionem Episcopalem provocasset, pro se aliquando allegaverint. Nam extra voluntariam illam agnitionem, cujus tamen intra 150. annos nullum fuit exemplum, liberum est à jurisdictione Moguntinæ civitatis corpus, & privilegia specialia hoc nomine allegat, adeò ut etiam in turbis nuperis, color ille prorogatae in Cæsarem jurisdictionis quaerendus fuerit, etsi plebs eò esset inducta, ut non recusaret judicium Archiepiscopi, exemplo seditionum an 1509. de quibus supra diximus. At in pagos & castella, quæ extra urbem ad civitatem pertinent, adeò nihil juris habet Archiepiscopus, ut etiam in transactione, quam alibi allegavimus ann. 1533. inter Electorem Saxonæ & civitatem, interventu Alberti Cardinalis Moguntini initâ, & alio pacto, an. 1553. publica professio fuerit edita, jurisdictionem supremam, & jus provocandi, ratione illorum pagorum inter Principes Saxon. & civitatem controversi, & coram arbitris secundum pacta protectoria constitutis decidi debere. Interim dum quæstiones illæ indecisæ sunt, Senatus quam olim exercuit jurisdictionem in pagos, etiam nunc exercet, & si à Principum Saxon. actione absolveretur, neminis Imperium nisi Cæsaris, in ditione suâ extra urbem ferre deberet.

§. 44. Tributorum quoque non expeditior, ad eum quem quærimus effectum, ratio est. Ubi quidem constat de jure Principis universali, immunitas à tributis non tollit potestatem Principatus. Possunt enim atque solent multæ causæ intercedere, ut volente & patiente Principe immunitatem non ab aliquibus tantum, sed & ab omnibus tributis adquirant subditi; quando præsertim alio modo juvant Remp aut aliquando insigniter juverunt. Verum ubi divisum est in partes jus Principatus, vel ubi de eo controversitur; neq; libertas à tributis, infallibili est argumento plenæ libertatis, neq; tributorum onus statim infert plenam subjectionem, quia etiâ ex pacto & observantia tributa solvuntur ijs, qui Principatus jus non habent. Quod vel maximè usvenit in certo tributorum genere, ut est illud, quod consensu ordinum Imperij nostri, *Collecta Imperialis sive Romana expeditionis nomine Reichssteuer oder*

Reichssteuer

Römer-Zug) Cæsareæ Majestati promitti & dari solet. Collectas hæc multoties ante annum 1521. quo matricula illa, quam vocamus Imperij, denuò fuit composita, à civitate Erfurtensi Cæsaribus ipsis eorumque procuratoribus fuisse solutas, multis probatur documentis. Verum & casus allegantur, quibus aliquando Archiepiscopis eas ipsi obtulissent, cum cæteris Archiepiscopatus collectis Imperatori exsolvendis; sive tolerabilius hoc modo secum actum iri putaret civitas, quam si suo nomine aliquid daret, atque eâ ratione controversias undique excitaret; sive alio modo id gestum fuerit. Itaque ab illo, quod diximus tempore, collectas Imperiales ex urbe Erfurtensi, Imperatori porriò solvendas accipit Archiepiscopus Moguntinus, non sine contradictione civitatis. Nam quod inde argumentum ad jus Principis deduceretur, operosa probatione in aula Cæsarea demonstrare voluit Respubl. Erfurtensis, nullo jure se ex albo statuum Imperij an. 1521. fuisse expunctam: Dein cum non impetraret, ut collectas Imperatori ipsi solveret, de summa earum disputare cœptum est, Archiepiscopo tertiam partem ejus, quod in universum solvit, exigente, at urbe vix decimam concedente. Decretis tamen Cæsareis, aliquando etiam transactionibus, prout temporum ratio ferebat, utcunque satisfactum est hoc nomine Archiepiscopis, & Senatus omnia reliqua tributorum genera exercens, non eâ quâ olim contentione collectas illas Imperiales in dubium vocavit; Imò qui proximis hæc annis favore illo quem diximus, plebis & ministrorum Archiepiscopali, ad magistratum fuerunt eVecti, liberaliter in septimam partem collectæ imperialis, quam Archiepiscopus Moguntinus præstat, consensisse dicuntur: Quamquam auctâ jam indies litium materiâ, etiam, ab hac transactione, utraque pars recedere voluisse videatur. Sed quidquid tandem hac in parte definitum aut coaventem fuerit, ad jus Principis sive summæ potestatis, nihil faciet, donec titulum universalis Imperij alijs documentis probaverint Archiepiscopi, eaque eliserint, quæ illis & Principum Saxonorum & civitatis nomine obstant.

§. 45. De reliquo collectarum & tributorum genere, ut jam dicere cœpimus, nihil unquam ad Archiepiscopum spectavit. Et cum ad dissolvenda debita ante seditionem an. 1509. permisso Principum Saxonorum, (de quo certò constat, & ab ipsa ipseque civitate jam illo tempore apud Cæsarem professio facta est.) Senatus vectigal aliquod (*einen Aufschlag oder Accis*) imponeret rebus in urbe venalibus, esculentis potissimum & potulentis, dein post seditionem compositam idem renovaret; Archiepiscopus & Cardinalis Albertus eo nomine civitatilitem movit, idque fuit primùm actionis illius contra civitatem an. 1521. intentatæ caput, quod ita concepit; *Quoniam jus universum & supremum omnimodæ potestatis ad Archiepiscopum spectaret, at vectigalia ejusmodi imponere, esset de jure Principis, non licuisse civitati eâ impositione uti, & quidquid eo nomine percepisset, fisco Archiepiscopali reddi debere.* Sed ab hac quoque actione absoluta est civitas an. 1578. magno, ut credi par est, cum adversariorum dolore, quibus nihil magis fuit in votis, quam ut urbi jus tributorum & vectigalium adimi & ad fiscum Archiepiscopalem transferri posset, *parum aliàs ex urbe percipienti.* Unde in tamultu illo an. 1509. cum primò juramenti formulam, quam vellent, à civitate extorsissent, etiam ann. 1515. pactum aliquod de tributis imposterum solvendis vi atque minis expresserunt. Nam Senatus, licet & ipse novus & illegitimus, non omnem tamen libertatis civicæ curam abjecerat. Sed pacti illius violenti nullus fuit effectus; nam præterquam quod post conciliationem cum Ducibus Saxoniarum an. 1516. innovata omnia corrigerentur, etiam clausula quædam adjecta erat reversalibus illis (*Dem Rüttel Brieff*) ut vocant (per quam, etsi legitime fuisset transactum, reperto tamen alio & antiquiori pacto libertas civitatis à tributis confirmabatur, eam enim publico & solenni instrumento confessus olim erat Adolphus Archiepiscopus an. 1463. Post perditam verò in Camerali judicio etiam hanc causæ partem primam & maximam, ministri Moguntini aliam interpretationem excogitarunt, scriptitantes: Ideò absolutum fuisse Senatum, quod probasset, collectas illas sive gabellas propter

D

necess.

necessitatem publicam civitatis fuisse imposi-
tas, idque fieri posse etiam sine consensu Princi-
pis; & quoniam sententiæ absolutoriæ adje-
ctum esset, *in reliquis nihil derogari juribus Ar-*
chiepiscopi, eo ipso jus supremæ potestatis tribu-
tum illi esse: mox tamen obliti hujus responsio-
nis asseruerunt, jus supremæ potestatis in lite
ista Camerali venisse neque in petitionem ne-
que in sententiam, sed tantum pro *colorando*, ut
loquuntur, possessorio allegatum, quæ omnia
sibi met parum congruentia totidem ferè verbis
ex apologeticis Moguntinis an. 1647. & 1648.
ostendi possunt, nullo quidem, quoniam semet-
ipsa conficiunt, refutatione egentia. Nam col-
lectas jure Principis postulas fuisse ex libello
Moguntino typis vulgato est apertissimum. Iti-
demque constat, Senatum non ad illud inter-
pretamentum tantum, quod onerum publicorū
causa vectigal imposuisset, confugisse (quis
enim putaret animi causa talia in civitate liberâ
corrogari?) sed jus antiquæ libertatis allegasse.
Literæ insuper Principum Sax. rogatu civitatis
an. 1521. ad Cæsarem scriptæ, utique in scriniis
aulæ Imperatoriæ reperientur, quibus profi-
tentur Principes, nihil ad has collectas juris Ar-
chiepiscopo, illasque suo permissu, petentibus
Erfurtensibus & causas allegantibus, institutas
esse; Interesse enim etiam Principum, ne novis
vectigalibus graventur provinciales, qui in ur-
bem mercatus causa quotidie commearent.

§. 46. In pagis jurisdictioni civitatis subjectis
adeo nihil neque collectarum neque alio nomi-
ne sibi arrogarunt olim Præsules Moguntini, ut
expressè omne jus suum intra urbem ejusque
agrum, [quem vocant *das Weichbild*] restrin-
gerent, de reliquâ provinciâ nihil prorsus alle-
garent. Imò Albertus Cardinalis arbiter inter-
cessit, ut non semel monuimus, in transactione
ann. 1533. qua inter alia promisit civitas, se præ-
staturam esse pagorum nomine Ducibus Saxo-
niæ, quæ olim Wilhelmo Duci præstitisset. Id-
que etiam effectum dedit, solutis mox annis
1541. & 1542. in fiscum Saxonicum collectis ad
bellum Turcicum, ut demonstrari potest ex li-
teris Senatus, additâque habitatorum in pagis
descriptione, qua significatur, quid ab uno-
quoque, & de quibus bonis solveretur, quod

mitum nemini videri debet, consideranti, dire-
ctum pagorum plerorumque dominium ad Ele-
ctorem & Principes Saxonicos pertinere, eorū
nomine juramentum tam fidelitatis, quam sub-
jectionis, (*Erbbuldigung und Lehns-Pflicht*)
solenni prorsus formula in curiâ Principum no-
mine civitatis sine ullâ exceptione Moguntini
Archiepiscopi, præstari, & instrumentis investi-
turarum & reversalibus antiquis, apertè conti-
nenti, pagos illos partem esse Principatus Thuringi-
ci, (*sie gehören zum Fürstenthumb zu Thürin-*
gen) neque obscurū omninò est, unde & quan-
do eas acquisiverint Eademque est ratio illorum,
quos tenent jure feudi à Comitibus Schvartz-
burgen sibus, olim etiam à Gleichen sibus, nam
hi eos recognoscunt ex gratiâ & concessione
Principum, & porro civitati eos conferunt. Ab-
sonū itaque ab omni similitudine verè est, quod
aucta indies prætensionum intemperie etiam id
à ministris Moguntinis non obscure agitur, ut
in pagis quoque Erfurtensibus, quos acquiren-
di & alienandi quotidie potestatem habet civi-
tas si adsit Principum Saxon. consensus, colle-
ctas Imperiales Archiepiscopo vindicent, into-
lerabili sane Saxonæ Ducibus ausu; qui de col-
lectarum jure in pagis istis, partim ut diximus,
certi sunt, partim ditem cœptam habent, nec
unquam concedere poterunt, ut quæ ex suo do-
minio atque principatu, feudi jure ad civitatem
pervenerunt, ab eo dominatui quocunq; mo-
do subjiciantur, aut is ex suis quasi visceribus
alimenta sumat. Nam etsi Senatui & populo
Erfurtensi indulgentiâ majorum suorum & suâ,
multa permiserint Principes, nec licet acriter
fuerint persecuti, nihil tamen inde juris aliis na-
sci potuit, cū præsertim civitas pagorum & ca-
stellorum extra pomerium suum nomine, spe-
cialim Saxonæ Principibus obstricta, et si li-
bertate multâ in iis utatur, agnoscat tamen jus
& dominium atque gratiam Principum, & de
iis belli pacisque tempore tantò impensius me-
reri, aut urbem suam sine molestiâ provinciæ
tantò efficacius tutari, denique tantò majora
Principibus auxilia mittere possit, quantò libe-
ralius benigniusque, quæ ad commodum &
honorem civitatis pertinent, Principes indulse-
rint. Ex hac verò feudali obligatione, liquidâ
quidem

quidem & solidâ, quam civitas nullo Moguntinorum permisso, nullâ eorundem exceptione publicè ante tot secula contraxit, etsi alia argumenta deficerent, satis apparet, incumbere Principibus defensionem clientium suorum, eorumque interesse, ut hi statum antiquum teneant, eâque utantur libertate, ut præstare possint, etiam invitis aut vetantibus Archiepiscopis, quæ feudorum istorum nomine debent, neque unquam ita subjiciantur illorum dominationi, ut hi pagi, aliquot millenis incolis habitati, Archiepiscopali potius, quâ civitatis pareant imperio.

§. 47. Jus monetæ, à multis inter signa supremæ potestatis refertur; non universali tamen in Germaniâ argumentandi ratione. Nummos minutos valore majori, quam bonitas ferret, cum in finem eudendi jus erat olim Archiepiscopaliū redituum Erfordiæ prætestis, ut qui in urbe aliquid emerent, nummos illos meliori monetâ redimere, aut si id non facerent, augmentum illorum præstare tenerentur, quod vocabant *den Schläge Satz*. Extrat de hoc jure pactum vetustum inter Gerardū Archiepiscopum & civitatem an 1289. operosè compositū. Sed postmodum Senatus hoc jus omne ab Archiepiscopo redemit, neque si id relui possit, quidquam inde pro Principis potestate concluderetur. At pro jure Ducum Saxonie universali, pacto solennian. 1492. conventum est, arbitro Ernesto Archiepiscopo Magdeburgensi, eodemque Saxonie Duce, inter Principes & civitatem, ut Erfurtenses monetam eo valore, quo Comites, Equites & civitates Thuringie, nulla difficultate aut separatione deinceps admitterent; quod si aliquid mutari contingeret in re monetariâ, tunc Erfurtenses non secus atq; alii Principum subditi sive status provinciales, ad consilium vocarentur, [verb. Germ in conventionem jam dicta, quam Senatus typis vulgavit, hæc sunt: *Das die von Erfurt die Münze wie sie die Grafen/Ritterschafft und Städte zu Thüringen nehmen und geben / fürbaß auch nehmen und geben/ und ob die Münz-Veränderung gewönne/so sollen die vö Erfurt/in massen wie andere Ihrer Liebde (der Chur- und Fürsten zu Sachsen) Unterthanen darzu gefordert werden.*] Quod evidenti est argumento, quid-

quid salvâ libertate & exemptione Erfurtensium à Principibus provincie concessâ & pactis protectoriis firmatâ, ad universitatem Imperii & conjunctionem cum cæteris provincie proceribus pertineret, a Principibus Sax. & urbe sedulo fuisse observatam, quod vel hoc monetæ exemplo, tum maximè ex illis, quæ de societate & auxiliis, belli & defensionis publicæ tempore, cum cæteris provincie ordinibus præstandis cauta sunt, satis intelligi potest. At quid ab alterâ parte ostendi quitum est, in quo se Erfurtenses ad leges Provincie Moguntinæ conformaverint? Imò pactis singularibus civitati majoris cautelæ causa prospectum fuit, ne in partem onerum Moguntinæ provincie venirent, ne ad debitorum Archiepiscopaliū solutionem quidquam conferrent, aliaque ejusmodi, quæ civitatis nomine in Camerâ & aulâ Casareâ prolixè fuerunt allegata.

§. 48. Consideratis quæ jam recensuimus, nihil inveniet æquus & intelligens harum rerum arbiter & æstimator, quod Archiepiscopis Moguntinis in civitate Erfurtensi competat, ad probandum illud jus Principis. Quicquid enim habent, id etiam qui non sunt Principes, habere possent, pacto & observantia antiqua. At multa & egregia habet civitas, tenetque sub fide, gratia & custodia Protectorum suorum Saxonie Principum, quæ non habent urbes, summæ & universali alicujus Principis potestati subjectæ. Jam si ad juramentum, quod Erfurtenses præstant, respiciatur, idem quod diximus. luculentissimè apparebit. Nam quæ civitates homagium, ut vocamus, solenne & consuetum præstant Principibus, illæ longè fortiori subjectionis præsumptione gravantur, quam quæ ab illo jurejurando vel prius sunt liberæ, vel jurant tantum de præstanda securitate juris, quod eminentiores alii in civitate habent, sive Episcopi sint, sive jurisdictionis quoddam genus iis competat, aut alia ejusmodi. Exempla notiora sunt, rerum Germanicarum peritis, quibus hæc scribuntur, quàm ut adduci nominatim debeant. Juramentum verd Erfurtense, quo cives Senatui, & Senatorum collegia invicem obligantur, quatenus huc pertinet, tale est: *Das wir unserm Herrn dem Bischoffe/ unserm*

Herrn dem Grafen / unsern Herrn dem Vize-
dom / der Stadt Erfurt / und den Bürgern
Reichen und Armen / ihr Rechte behaltē / ohne alle
Ubel ist / also ferns wir das wissen / und vermö-
gen /c. als uns Gott helffe. *Iuramus Domino*
nostro Episcopo, Domino nostro Comiti, Domino
nostro Vice-Domino, Civitati Erfurtensi, & civi-
bibus, divitibus & pauperibus jus suum conserva-
turos sine dolo & fraude, quatenus scimus atque
possumus. Addunt Senatores promissum, de si-
lento & fide in Senatu: sed in civium jura-
mento præmittitur sponso de obedientiâ ple-
nissima Senati præstanda. Hæc singularis sanè
jurisjurandi formula perpetuum atque insupe-
rabile præpet argumentum, contra omnimo-
dam illam potestatem, Archiepiscoporum no-
mine speratam & quæsitam. Exaquantur enim
hoc juramento, quantum quidem ad conserva-
tionem jurium uniuscujusque pertinet, Archi-
episcopus, veteri illi Domini hæreditarii, Co-
mites Gleichenfes & Vice-Dominorum fami-
lia, urbs ipsa, & cives omnes atque singuli, ne-
que exprimitur quale cujusque jus sit, sed illa
determinatio conscientie jurantium relinqui-
tur, quæ, nisi nihil juramento hoc caveri videat-
tur, utique non aliunde instrui potest, quam ex
vetustâ observantiâ vel pactis, quibus jura
omnium exprimentur, vel firmantur. Ideo que
non præstatur hoc juramentum Archiepisco-
po, vel ejus præfectis & ministris, sed cives &
Senatores sibi invicem jurant: & unâ tantum
vice, cum solennis sit Magistratum mutatio,
præfens est, ut diximus, Sculterus sive Prætor
Moguntinus, ut audiat videatque, jure Archi-
episcopali caveri à novo magistratu.

§. 49. Viderunt hoc Archiepiscopi, quotquot
occasionem sibi datam putabant, principatum
urbis ad se trahendi, ideoque hæc veluti arx
erat controversiarum, quam vel primò vel po-
stremo locò expugnandam sibi destinabant;
nempe ut juramento, aliis subditis suæ, auto-
ritatem & potestatem suam firmarent. Quam-
diu enim id non fieret, non poterant sperare, ut
non eodem & majori ardore jura civitatis &
civium defensuri essent Senatus, & que rei fo-
rent à consiliis; neque enim, dum id facerent,
perduellium & irreligiosorum hominum no-

tam incurrebant, nam æquali omnes obliga-
tione & Sacramenti fide non minus urbi,
quàm Archiepiscopo obstringuntur. Neque
tunc inventa erat ratio, quæ nunc reperta est,
ut Cæsaream Majestatem laedere dicantur, qui
civitatis jura, contra molimina adversariorum,
& quæ ad illa fulcienda, à mitissimis optimisque
Imperatoribus ante cognitionem causæ impe-
trari quandoque solent rescripta & jussa, non
deserant. Transactionibus, ut diximus, olim
tentata fuit juramenti illius mutatio, & Alber-
tus ipse, Saxonie Dux, Administrator an. 1480.
sub initium Principatus, sedulo in id incubuit,
administro consilii hujus strenuo, Bertoldo, ex
Hennebergensium Principibus Cathedralis Ec-
clesiæ Moguntina Decano. Extant in membra-
nis Schvwindii, quas supra nominavimus, for-
mulæ à Bertoldo propositæ, in quas ut jurarent
Erfurtenses, nullam non adhibebat persuasio-
nem, promissis amplissimis literis reversalibus,
quas vocant, per quas de omnibus libertatibus
& juribus urbis disertissimè caveretur. Deside-
rabat autem imprimis, ut hoc modo juraret ci-
vitas uni versa Archiepiscopo, urbem solenni ri-
tu intranti, (bey dem Eintritt) se Domino suo
Moguntino posteris & Archiepiscopatu ejus,
fideles & subjectos fore, pericula ejus indicatu-
ros, commoda procuraturos, ipsius & Archi-
episcopatus jura servaturos, & omnia præstitu-
ros, quæ cives Domino suo hæreditario præ-
stare deberent. [Unsern gnädigen Herrn vom
Maynz / seinen Nachkommen und Stifte ge-
ren und hold zu seyn / Schaden zu warnen/
Fromen zu werben / und sein und seines Stiftes
Rechte zu behalten / auch alles das zu thun / das
Bürger ihrem Erb-Herrn schuldig und ver-
pflichtet seyn.] Hæc toto triennio agitata, nullo
successu; dein, compositis pactione an. 1483.
cæteris controversiis, aliquantum quievêre,
sed, statim à morte Alberti Saxonis, evectus ad
Principatum Bertoldus an. 1448. ad priorem
rediit curam, ut civitatem novo juramento ob-
ligaret, & ad præstationem tributorum adige-
ret. Hæc duo enim restare videbantur ex in-
stitutis illius. Legato itaque misso, fratre
suo Ottone Decano Bambergensi, variis for-
mulis propositis, omnia illa juramenta mutare
tentavit.

teneavit, cum quæ sub ingressum Archiepiscopi, tum quæ à Senatu, & à civibus præstarentur. Potest totius negotii ordo, ex Schvwindii commentariis, adeoque testimonis ex domo adversariorum petitis, detegi; sed cavenda est prolixitas, dissimulanda etiam quædam sunt sperantibus concordem & amicam harum rerum compositionem. Post longissimas tredecim annorum altercationes, tandem obtentum est à civitate, ut promitteret, Senatum & cives sub ingressum Archiepiscopi, juramenti veteris formulæ, inserturos esse titulum honorificum, *Domini hereditarii*. Conventum itaque eo casu de hac formula, additumque, eam æternam esse debere, ann. 1497. *Das wir unserm gnädigsten Herrn zu Maynz/der Stadt Erfurt Erbherren/ unserm Herrn dem Grafen / unserm Herrn dem Bischof/der Stadt Erfurt/und den Bürgern Reichen und Armen / ihr Recht behal en / ohne alle Vbellis/re. Iuramus Clementissimo Domino nostro Moguntino, civitatis Erfurtenfis Domino hereditario, Domino nostro Comiti, Domino nostro Vice-Domino, Vrbi Erfurtensi, & civibus divitibus & pauperibus, jus suum conservaturos absq; dolo malo, &c.* In cæteris formulis, quæ quotannis à Senatu, & à civibus præstantur, nihil fuit mutatum. Notat Schvwindius, quoniam jam ab illo tempore nullus Archiepiscopus in urbem venerit, neque etiam solennis ille ingressus ère sit Archiepiscopi, (cum ipse prius jusjurandum de libertate urbis præstare teneatur) nullum hujus juramenti usum fore, mansisse interea formulas veteres in juramenti anniversariis Senatus & civium, neque spem esse, ut eæ possint mutari. Nihil quoque impetrasse, ait, Bertoldum à civitate, tributorum vel collectarum nomine, licet totius vitæ tempore eam sollicitasset.

§. 50. Diximus, promissum esse transactione Bertoldi, æternam fore hanc formulam, in quam noviter Senatus consenserat, publicâ professione tituli *des Erbherren*: quanquam non sine periculo extendendi aliquando vocabuli ad perniciem libertatis suæ: additum etiam fuit, omnes controversias esse sopitas, Verum brevis fuit hæc pactorum æternitas. Nam, uti

jam supra narrare cœpimus, in seditione illa populari an. 1509, Uriel Archiepiscopus stolidam plebem eò induxit, ut juramentum fidelitatis & subjectionis (verbis *treu und hold*) præstarent, acceptis tamen reversalibus de libertate & privilegiis civitatis servandis. Non intelligebat, scilicet, simplex plebecula, aut qui illius suffragiis ad magistratum erant electi, quantum inter hæc interesset, Principis jus universum, omnimodæ & universalis subjectionis notâ juratò profiteri, promissione qualicunque, de exemptionum & privilegiorum jure acceptâ: & libertatem suo jure servare, juramento tantum speciali, pro iis, quæ ex pacto & observantiâ secundum civium conscientiam Archiepiscopo, utut Domini hereditarii nomine insigneretur, præstito, deberentur. Verum & hoc civitatis vulnus, ope Saxonorum Principum sanatum fuit. Nam post tumultum, eorum demum auspiciis an. 1516. finitum, novit hujus juramenti vis & usus planè expiravit, ut supra monitum est. Quare, cum in Camera Imperiali, per modum reconventionis civitas gravamina sua contra Archiepiscopum proponeret, & secundo capite reconventionis, vim sibi in extorquendo hoc juramento an. 1510, factam, allegaret, neque tamen diffiteretur, post sedatum tumultum non aliâ, quam veteri formulâ, juratum fuisse, absolutus est Archiepiscopus. Rationem exprimentes referentes apud Gylmannum, *quia gravamen cessasset*, addidere etiam sententiæ absolutoriæ verba illa, *nach Belegenheit der Sachen*/ ne putent Archiepiscopi, sibi posthac id juramentum exigere licere. *vid. Gylmann loco supra dict, fol. 153.* ut mirari liceat, quâ confidentiâ novi Moguntinæ dominationis patroni in scriptis an. 1647, ausi sint asserere, juramentum illud Urielis in Camera fuisse confirmatum, quoniam absoluti essent Archiepiscopi à civitate reconventi. Alia etiam excogitarunt jam olim & nuper, quibus adstructum irent, juramentum civitatis, etiam quâ nunc præstatur formulâ, æquipollere juramento sive homagio subjectionis. Dicunt enim, quando juratur, jus Archiepiscopi conservari debere, non aliud intelligi, quam jus potestatis universalis, sed hæc manifesta est

D 3

assertio

assertio ejus, quod controversatur in quaestione. Dein ajunt, jura Comitis & Vice-Domini, ac crevisse Archiepiscopis. Verum id quoque nondum fuit probatum, & urbs documentis non spernendis ostendit, quo titulo illorum Comitum & Vice-Dominorum jura ad se pervenerint: neque si probaretur, quod familiae hæc, jura sua in civitate feudi nomine ab Archiepiscopis tenuerint, nihil inde ad supremam potestatem validè argueretur, donec simul liquidum fieret, quod tamen Moguntini ipsi non admittent, talem potestatem Comites & Vice-Dominos habuisse; quod probatu est impossibile. Aliæ interpretationes, nuper inventæ, responsum non merentur, aut ad aliud tempus sunt differendæ.

§. 51. Finituri hanc de juribus Moguntinis disquisitionem, pactum ipsum Alberti Administratoris, quo utilius & verborum specie illustrius non habent, quod allegent Archiepiscopi, anno jam sæpiusculè memorato 1483. cum civitate initum, hîc, quâ opus est, subiciemus; neque tam nostris, quàm, Moguntinæ intentionis acutissimi & diligentissimi propugnatoris Schvwindij notis illustrabimus. Pacti, nuper admodum decreto Cæsareo denuò typis vulgati, caput primum tale est, verb. Germanicis: *Als die Stadt Erfurt von Alters her dem heiligen S. Martin / unserm Patron / unserm Stifte Maynz / und uns zusteht; und wir und unser Stifte ihr rechter Erb. Herz sind; auch die Bürger daselbst / Rath und Gemeinde unserm Stifte mit Treu und Eyde / in Form / wie vor Alters herkommen / gewand: und von unserm Stifte mit etlichen Freyheiten begabet und begnadet sind / demnach solle Rath und Gemeinde sich gegen uns / unsere Nachkommen und Stifte getreulich mit herkommenen Verwandnissen halten und bewahren; und wir unsere Nachkommen und Stifte Maynz sie und ihre Nachkommen wiederum bey allen und jegliche Ihren Obriegkeiten / Herzligkeiten / Gnaden / Freyheiten / Rechten / und erbahren Gewonheiten / was sie deren vom Stifte Maynz herbracht haben / bleiben lassen zu ewigen Tagen / und ihnen darinnen keinen Abbruch oder Eintrag thun in keine Wege.* Item, die unsern von Erfurt sol-

len auch uns / unsern Nachkommen und Stifte Maynz / bey unsern Obriegkeiten und Herzligkeiten / die wir und unser Stifte zu Maynz haben / auch Gerichten geistlichen und weltlichen / auch gewöhnlichen und ziemlichen Gerichts Fällens und Nutzen / und andere unsers Stifts Rechten / Gütern und Zinsen nicht irren / verhindern oder sperren / etc. Latine sic utcumque reddi possunt: *Quoniam urbs Erfurtensis ab antiquo ad sanctum Martinum patronum nostrum, ad sedem Moguntinum & nos pertinet, & nos & sedes nostra, Dominus ejus rectus & hereditarius sumus, Senatus etiam & populus sedi nostra fide & juramento juxta formam; quæ ab antiquo obtinuit, obligantur, & à sede nostra aliquibus immunitatibus donati & aggratiati sunt; Ideo Senatus & populus erga nos & successores nostros fideliter secundum solitas obligationes sese gerere & eas servare debent. Et vicissim nos & successores nostri sedesq; Moguntinæ ipsos posterosq; eorum in omnibus & singulis eorum superioritatibus, dominijs, dignitatibus, gratiis, libertatibus sive immunitatibus, juribus, & honestis consuetudinibus, quæ à sede Moguntina possederunt, conservabimus, in omne ævum, neque in illis eos impediemus, neq; aliquid detrahemus ullo modo. Item nostri illi Erfurtenses nobis quoq; & successoribus nostris, & sedi Moguntina, in nostris superioritatibus, dominijs sive dignitatibus, quæ nos & sedes nostra habemus, etiam in jurisdictionibus ecclesiasticis & civilibus, ut & in consuetis & licitis fructibus jurisdictionis, & aliis sedis nostra juribus, redditibus & censibus nullum facient impedimentum, &c.*

§. 52. Ad hæc commentator ille, quem diximus, primum occurrit suspitioni, de zelo & fide Alberti Administratoris, Saxonix Ducis, quasi ad familiam suam potius, quàm ad metropolin, cui præerat, respexisset, aitque, se ex actorum inspectione illâ penitus liberatum esse. Nam, quod admodum juvenis esset Albertus, omnia summâ curâ & diligentia Bertoldi Decani, & cæterorum Canonicorum & Confiliorum administrata fuisse. Deinde repetit, quæ nos supra innuimus, quemadmodum Dieterus Hseburgicus, paulò ante obitum contra Erfur-

tenses publico scripto duo hæc potissimum egerit, ut ostenderet (1.) urbem Erfurtensem proprietatis jure ad Archiepiscopatum Moguntinum, sive ut loquendi mos erat, ad S. Martinum patronum metropoleos spectare. (2.) Pleno spectare jure eodemque prorsus modo, quo cætera Moguntina municipia; ita ut omnis sive omnimoda potestas & jurisdictio esset Archiepiscoporum. In his capitibus cardo vertebatur omnium controversiarum. *Videri jam posset, pergit Schöwin- dius, primum caput pro Archiepiscopo egregiè esse constitutum. Dicitur enim, urbem esse S. Martini & Archiepiscoporum, hos esse Dominos urbis hereditarios & quidem rectos sive veros: deberi illis fidem à senatoribus & civibus. Verum non minus provisum est civitati, insertis clausulis modificativis & limitativis, juxta formam, quæ ab antiquo obtinuit; Item secundum solitas obligationes. Secundum verò caput longè fortius contra institutum Dieteri decisum est. Statuit enim, urbi omnes & singulas superioritates (Obrigkeiten) dignitates (Herzlichkeiten) gratias, libertates, & honestas consuetudines relinquere, ad æternum tempus, nullumque illis impedimentum aut obstaculum ullo modo opponendum vel injiciendum esse. Verba hæc (ait ille) tantò sunt majoris ponderis, quantò significantius sunt concepta, multisq; additamentis in fine roborata, vocabula enim superioritatis & Domini vel dignitatis, Obrigkeit und Herzlichkeit / ejus sunt sensus & efficacia, ut etiam Archiepiscopus, dum paulò post de suis loquitur juribus, aliis aut significantioribus vocibus uti nequiverit. Dein manifestum est, formulas illas, ad æternum tempus, zu ewigen Tagen / Item, sine impedimento & detractioe (keinen Abbruch oder Eintrag thun) nullo modo, in keine wege, id efficere, ut ea omnia habeat civitas non cumulativè, sed privativè, aeterno & hereditario jure; ut neq; Archiepiscopi, neq; eorum ministri in his quidquam possint præcipere, aut inhibere civitati, maxime si iis legitimè utatur, (de hac restrictione paulò post dicitur.) Neq; ad rem facit, quod definitum non sit, quanam sint illæ superioritatis & dignitates Senatus & civitatis, nam eo magis consulitur civitati, & contra*

Archiepiscopum interpretatio fit, utpote contra scribentem, qui non expressius atq; restrictius fuit, locutus, sed voces adhibuit generales, & numero plurali conceptas. Agnoscit deindè, haud multum præsidij pro intentione Archiepiscopi esse, in illis verbis, quod gratias & libertates quasdam habeat civitas ab Archiepiscopis: item quod additur, was sie vom Stifte herbracht / quæ possident ab Archiepiscopatu. Neq; sperari posse, ut probationis onus, ex his clausulis injungi possit civitati, quasi dictum fuisset, quicquid probare poterint; sed notanter adhibitam esse vocem, herbracht / longissimi enim temporis, trium ut plurimum seculorum decursum, quò civitas jura sua exercuerit, supplere omnia atq; dare præsumtionem, omnium legitimè actorum, & jus quasitum tituli. Ex virtute enim & proprietate verbi herbringen / antiqua & non interrupta possessio, vel quasi, expressè inclusa est. Tandem concludit, cum addatur juribus Archiepiscopi, quæ iisdem vocabulis describuntur, nullum impedimentum à civitate fieri debere, talem quidem usum suorum jurium Senatui injungi, qui esset sine damno jurium Archiepiscopaliū, verum eo ipso manifestam divisionem & separationem jurium induci, earumq; partem Archiepiscopo, partem Senatui tribui; ita enim conceptam esse hanc transactionem, ut hæc signatè sibi opponantur, verbis proprietatem exprimentibus, cum dicitur bey allen und jeglichen ihren (des Raths) Obrigkeiten / & mox unsern (des Stifts oder Erzbischoffs) Obrigkeiten. Hoc modo æqualem fieri divisionem proprietatis & domini, æqualem etiam prorsus dispositionem, quod neutra pars, alteri quidquam impedimenti creare debeat. Inde, clarum & liquidum fieri, quoniam ea pars juris, quæ civitatis propria est, Senatui: altera, quæ ad Archiepiscopatum spectat, officialibus Moguntinis committeretur, unicuiq; parti liberrimum arbitrium esse suis juribus absq; ullo alterius præcepto aut interdico utendi, exclusis tamen utring; iis, quæ ipso jure & æquitate vetita sint.

§. 53. Hæc ille, veritatis victus, secretæ relationi ad Archiepiscopum herum suum, aliaque plura inseruit; testatus, se quidem aliâ historicâ & generali, quam vocat, relatione & deductione operosè allaborasse, ut omnia Archie-
episco-

episcopalia jura, quam posset maximè & rigidissimè defenderet etque exaggeraret, juxta illud vulgare, iniquum petas, ut æquum feras: hæc tamen secretò monenda existimasse, ut cognosceret Archiepiscopus, quam utile sit rei Moguntinæ, ut transactione potius, quam juris persecutione & sententiâ, lites cum Erfurtensibus finiantur: quæque sua & aliorum fuerint consilia & merita in negotiatione, quam ab anno 1615, cum Senatu cœperint, & illo anno 1618, penè ad finem deduxerint. Quoniam igitur ex domo adversarij allata testimonia maximi aliàs solent esse ponderis, neque vel civitatis vel Principum Saxoniorum nomine quidquam ferè ad pacta illa Albertina dici possit pro libertate urbis accuratius atque certius, nihil opus est hæc latius persequi.

§. 54. Id tantum occasione hujus commutationis monuisse non fuerit inutile, ex divisione & separatione jurium, qualia sunt, quæ diximus, id porro sequi, quòd unicuique partium, ut ut dignatione & potentiâ non sint æquales, sed altera superioris sive Principis, altera subiectorum nomen aut speciem habeat, secundum tradita sapientum & ipsius rationis dictamen, jus atque potestas sit, jura illa sua separatim adquirenda, tuendi & defendendi, suis & sociorum, si quos habet, viribus; etiam contra illum, qui dignitate & viribus superior, partem alteram eorum habet, neque tamen ijs est contentus, sed jus alterius invadit. Hæc nisi in mixturâ partium tali obtinerent atque concederentur, nulla foret durabilis separatio jurium inter impares; sed qui superior dignatione & potentiâ esset, alteram partem facili negotio opprimeret. Itaque rebellium crimen non committunt, qui jura ad supremam potestatem in Republ. pertinentia, eò, quo diximus, modò privativè & proprietatis titulo adquisita, contra eum, qui Principis quidem nomen, sed partes ad Principatus vim constituendam, nunquam integrè habuit, vel ad alios simpliciter transtulit, tuentur & propugnant, eorumque servandorum causa fœdera ineunt. Quæ omnia Erfurtenses per tot secula non sine successu fecerunt: neque quidquam è juribus suis amisc-

runt, quam quando, internis discordijs divisi, veram rationem status sui custodiendi neglexerunt; ut vel maximè factum est in motibus hisce proximis; in quibus Moguntini ministri exquisitâ diligentia id egerunt, ut jura civitatis non alio, quam privilegiorum, titulo censerentur; imprimis verò potestas illa, jura sua propria, viribus, quibus possunt, tuendi, adimeretur. Hinc in decretis Commissariorum Cæsareorum, annitentibus Moguntinus, non semel injunctum fuit civitati, ut, si quid contra officiales Moguntinos querelarum haberent, juri que suo officii putarent, de eo ad Reverendissimum Archiepiscopum preces suas deferrent, qui porro facturus esset, quæ eum decerent. Quâ modestiæ commendatione, si id intenditur, ut omnia ab arbitrio Archiepiscopi pendeant, quâ ratione is ministris suis, aliena & tanta jura invadentibus, frenum imponere velit, vis omnis libertatis civitati occlusus peribit, inventis mille interpretamentis, per quæ species quæraturs dicendi; civitatem juribus suis abuti, hoc aut illud esse ex concessione Archiepiscopi, & per eum, si legitimus abfuerit usus, revocari temperatiquè posse. Et eò collineasse videri posset Schvvindius, cum diceret, ut ex paulò antè bonâ fide relatis apparet, tunc maximè nullum jus esse Archiepiscopis, impediendi libertates civitatis *si iis legitimè utatur*; Verum si hæc fuit ejus mens, de qua tamen meritò propter ea quæ subiecit dubitare licet, falso utique decipitur præjudicio, ac si privilegij & concessionis titulo jura civitatis ab Archiepiscopis essent adquisita. Hoc enim vel maximam requirit probationem, contra illos, qui per tot secula, privativè, ut ipse ait Schvvindius, & æquali cum Archiepiscopis divisione, tot egregia jura, cum Principatu non conciliabilia, possederunt. Dicitur quidem in his ipsis pactis Albertinis, civitatem quasdam immunitates (*Freyheiten*) gratia Archiepiscoporum acquisivisse, at notanter dicitur *quasdam & immunitatum* voce moderatâ eæ exprimuntur; sed cum postmodum ad jurium omnium descriptionem & securitatem acceditur, alio longè stylo prospectum est civitati. Neque enim promisso illo contenta fuit

fuit, immunitates per gratiam acquisitas esse conservandas, sed omnes atq; singulas superioritates, non quas impetraverint ab Archiepiscopis, sed quas possiderent. Et huc revocanda est, quam supra allegavimus, confessio Archiepiscoporum, qui foedus cum civitate inierunt, habere nempe urbem privilegia Cæsarea & Regia, eaque custodiri debere. Nam quod successores etiam hic obloqui cœpere, id referendum est ad fervorem partium contendentium, suntque talia, quorum sæpè pœnitet ipsos contradicentes: Ita nuper admodum cum Eminentissimus Elector cavere civitati tantum de illis privilegiis vellet, quæ ab Archiepiscopatu haberet; Legatis Saxonis libertatem urbis ex aliis principiis deducentibus responsum fuit à Commissariis Cæsareis, nihil hoc modo derogari illis, quæ civitas à Cæsare aut aliunde adquisivisset, sed Archiepiscopum tantum de illis fidem interponere, quæ à se pendèrent, cætera suo jure firma esse. Verum ut diximus, pactorum verba talia sunt, talisque momenti, ut omnia includant, præstentq; omnino illis, quæ semel placuerunt uti, quam novis & dubijs fidei, præsertim cum & pacta illa magno constiterint ære. Soluta enim tum fuisse Archiepiscopo 40 florenorum millia, (plus tamen aliquando indicasse videtur civitas,) fassi sunt Legati Urielis Archiepiscopi, coram Commissariis Cæsareis ann. 1510. & agnoscit Schvvinidius: quanquam consuetâ admodum in his quidem controversijs variatione, etiam hoc quandoque fuerit negatum.

§. 55. His atque alijs à civitate in judicio Camera Imperialis allegatis Adfessores, quorum sententias edidit Gylmannus, tom. 1. tit. 2. p. 58. & seqq. licet omnia conquirerent, quæ pro fundandâ potestate Moguntinâ dici potuerent, vi tamen veritatis victi, pro libertate urbis multa sunt locuti; is præsertim, qui referentis munere functus est. Ejus verba num. 92. hæc sunt: *Constare non esse eandem rationem in dominio huius civitatis, quæ est in reliquis absolute propriis aut certo titulo Archiepiscopatu adquisitis, conjuncto eo quod jus & superioritatem sibi quoq; Imperator vindicet, (concessione scil. plu-*

rimorum privilegiorum atq; alio modo,) & ipsi rei (Erfurtenses) libertatis in quibusdam nec non & jurium separatorum specimen aliquodebant, uti apparet, omissis etiam iis, quæ ex transactione fuerunt obtenta. Nam imprimis administrationem civitatis habent liberam quodammodo, cum nemini rationem eius reddere teneantur, quod constat quidem, nisi fortè antiquo Senatui &c. Et paulò post: Ex quibus omnibus concludendum tandem arbitror, quod ad ea jura superioritatis & jurisdictionis atq; domini & potiora quidem, quæ (ut supra dictum) constat actores (Archiepiscopos Moguntinos) habere ex certâ prescriptione, intentionem probatam non elisam. Quantum verò ad ea pertinet, quæ non apparent possessa per Archiepiscopos aut concessa utcunq; minora, eorum intuitu esse elisam, quoad universitatem domini, ita tamen, ut non minimum jus, (ut Irenicus dicit in historia de rebus Germaniæ) Moguntino competat in civitate; Nec obstat, quod in genere universum & absolutum pretendatur dominium, ex eo, quod pleraq; habeant præcipua, quoad judicialia jura, & quoad superioritatem, nec non quoad census, cum res quoq; peculiaris habeant quæ non constat esse concessa, item quod à reliquis subditis fuerint separati, cuius rei argumentum est, quod civitas, quæ ab antiquo opulenta & potens fuit, non ad eò submittere se voluerit, neq; tam facile ad servitutem, seu subjectionem absolutam adigi potuerit. Antea dixerat: Vnde & quæ actores Moguntini quidem possident, ea concessa (ab Imperatoribus) aut adquisita dici possunt, quæ verò non possident, non video ex supra dictis, quo jure illis (Moguntinis) tribui, vel Reis (Erfurtensibus) in eis, quæ ipsi quoq; possident de jure suo, aut sine expressâ concessione quidquam adimi debeant. Nam etsi contra Imperatorem jus præscriptum dicamus, ob negligentiam Impp. vel rei tacita concessione Principis adquisierint, vel etiam ut præsumtio tantum est, ex scripta quadam historiâ, sine autore tamen certo, ab Imperat. Ottone primo, qui Dominus fuit Thuringiæ, quod filio suo Guilielmo Archiepiscopo Moguntino concesserit, tamen nec tunc quidem certò constare potest, quantum ipse Imperator aut Princeps juris ha-

buerit, at tantum concessisse praesumi possit, cum nec imperator nec Princeps equam in omnibus civitatibus potestatem habeat, cum & antiquitus suas quoque libertates obtinuerint, &c.

Hæc si absque affectu & secundum ea, quæ supra probata fuere, examinentur, luculentum perhibent testimonium, universitatem Domini, i. e. veram & supremam potestatem Principis, quæ semper est universalis, ab adfessore hoc viro utique non spernendæ scientiæ & auctoritatis negatam fuisse Archiepiscopis, adserta verò civitati jura sua & separata, quæ non habeant ex concessione, neque ex transactione, sed suo jure, aut ab Imperantibus; Rejicitur ab eodem incerta illa de donatione Ottoniana traditio, & ostenditur, quam nihil inde concludatur, donec simul probatum fuerit, jus universum Ottoni Imp, tanquam Thuringiæ Domino competiisse. Cæterum quod autor sententiæ hujus existimavit potiora jura esse Archiepiscopi, minora civitatis; neque satis accuratè & distinctè de superioritate, & ejus jure loqui videtur, in eo usus est sensu suo, aliter statuturus, si quæstionem hanc non incidenter, ut ait, sed primariò tractasset, & auditis civitatis probationibus jura utriusque contulisset: Unde liquidum fuisset iudicium, quæ alteri præferri debuerint. Nam jura belli & pacis & fœderum, & legum publicarum, præponderare judiciariæ potestati & collectarum quarundam speciei, nemo facile dubitabit. Sufficit interim, quod præsumtionem universalem de Dominio universali & absoluto non tribuit Archiepiscopis, sed eos ablegat ad probationem eorum, quæ possidere dicuntur; Id enim est illud quod à nobis fuit demonstrandum.

§. 56. Jam quæ fuerit postremorum in civitate motuum occasio, & quid ex aulâ Cæsarea decretum, quid à partibus gestum, petitumque sit, breviter memorabimus. Cum post pacis universalis negotium finitum, postulante Eminentissimo Moguntino, quemadmodum jam supra dicere cepimus, delegarentur Cæsareæ Majestatis, & statuum Imperij nomine Reverendissimus Episcopus Bambergensis, & Sereniss, Dux Wurtembergensis, ut restitui

curarent in civitate Erfurtenfi, omnia in curâ statum, qui ante motus bellicos fuisset; expeditis cæteris omnibus, petitum fuit à ministris Moguntinis; ut in templis, in quibus ad Augustanæ Confessionis præscriptum sacra fiunt, preces publicæ pro Eminentissimo Electore & Archiepiscopo Moguntino conciperentur, id enim ante bellum fieri solitum dicebant, Resistebat Senatus, neque ejusmodi preces unquam, nisi intra motus bellici tempora, quorum nulla ratio esset habenda, ab an. 1626. ad 1631 factas fuisse, contendebat. Producebat quidem ipse Senatus formulam, qua an. 1615, usi fuissent Ecclesiastæ, cum gratias agerent Deo pro cœpto tunc inter Archiepiscopum Joannem Suicardum & civitatem transactionis negotio, editaque Archiepiscopi nomine luculentâ professione, de libertate religionis in civitate non turbanda, & porrò precarentur, ut reliquæ controversiæ commodè componi possent. sed rejectis his instabant Moguntini, qui non tantum eo quem Senatus fatebatur modo, pro transactionis & causæ illius successu, sed pro personâ, ut ajebant, Archiepiscopi oratum in templis fuisse probaturos se esse ajebant. Commissarij festinanter, neque citato, neque ad probationem contrariam, aut interrogationes testium admisso Senatu, testimonia à Moguntinis allata audiunt, cumque è testibus compluribus aliqui dixissent, audisse se preces nominatim pro Archiepiscopo Joh. Suicardo an. 1615, fieri, sub abitum suum an. 1650. in fine decretorum, quæ condiderant, adjiciunt, preces pro Archiepiscopo & Archiepiscopatu, (*das Ersstiff*) fieri debere, eâ tamen intentione eorû, modo ut ante motus, Consultum videbatur hac clausulâ civitati, quæ statim senserat dixeratque, à Moguntinis id non eo fine postulari, quasi ab Augustanæ Confessionis hominibus preces ad Deum valde desiderarent; sed ut publico & sacro hoc testimonio de potestate Archiepiscopi in urbe constaret. Nam ex more Ecclesiarum protestantium in Germaniâ, pro ijs tantum nominatim & debitâ cum honoris significatione preces fieri solent, qui verè sunt Principes civitatis (*die Landesfürsten*.) Nihilominus decretum illud executus

cutus non est Senatus, licet jam ex novatoribus, quemadmodum supra narravimus, constitutus esset, & contra morem majorum magistratum annos quinque continuaret. Nec eo tempore à Moguntinis interpellatus fuit. Sed anno 1655. missi à Cæsarea Majestate Consiliarius aulae D. Joh. Christophorus Bonn, & Fiscii procurator, quem supra nominavimus Emmericus, dum formam Reipubl. ad libitum plebis & alia plurima ex re Moguntina ordinant, decretum etiam illud de precibus concipiendis ingeminant. Nihil magis tamen annis proximis quinque paritum ei est; nisi quod eo modo preces fecit civitas pro successu tractatum cum Archiepiscopo, ut factum erat ante motus bellicos: quiescentibus iterum Moguntinis, non alia, uti apparet causa, quam quod invidiam conflare nollent magistratibus horum annorum, sua commendatione ex infimo plerisque ordine eVectis, & ad consilia Moguntina in perniciem publicae libertatis admodum conniventibus. Sed postquam plebs sub finem anni 1659. novarum rerum & novorum hominum insolentiae penè jam pertæsa, licentiâ impetrata aliter uti cœpisset, quam Moguntino proposito conduceret, his illa de precibus renovata fuit, ut occasio esset tertiae jam commissionis Cæsareae in urbem mittendae; congregabantur enim alia quoque, quae contra decreta an. 1650. & 1655, vel facta vel non impleta esse dicebantur. Accedebat, quae supra narrata fuit, querela Limplechti, qui sibi injuria magistratum ademptum esse contendebat,

§. 57. Sic ingressus urbem an. 1660. Baro Schmidburgius, aulae Cæsareae Consiliarius, (nam qui ea collegia datus fuerat Fiscalis Emmericus, morbo detineri dicebatur,) & ad controversiam illam de precibus conversus, eam non difficulter componi posse dicitabat, reperit formulam, qua libertati urbis nihil decedere, neque nimium tribui Archiepiscopo videretur; Produxit etiam epistolam Eminentissimi Electoris manuscriptam, qua caveri dicebat, nihil damni aut praëjudicii illatum iri ex his precibus civitati. Sed perstitit in sententia Senatus,

donec Limplechto ad tribunatum, ut in loco memoravimus, restituto, eVectis magistratu, qui ei fuerant adversati, territis verò omnibus, & pro libertate urbis aut ambigè loquentibus, promissum fuit Senatus nomine, annitente acriter Limplechto, atque hoc magistratus sui auspicio patronis suis gratiam referente, preces juxta formulam à D. Schmidburgio praescriptam fieri debere. Verum Ecclesiarum ministri eas recitare jussi, plurima regerebant. Dicebant enim: *Preces hasce, etsi anno 1650. civitati essent injunctae, nullum tamen fundamentum habere in lege pacis publicae, neque enim probari posse, eas anno 1624. ex quo tempore regula restituendorum deduceretur, fuisse factas, formulam precum an. 1615. minimè pro persona Archiepiscopi conceptam fuisse, ex authenticis actis Senatus & ministerij Ecclesiastici firmari, imò in universum ostendi posse ante annum 1620. conceptis preces verbis neminem Ecclesiarum usum, sed tantum Dominicam orationem cum brevi admonitione, qua publico privatoque nomine Deo commendari deberent, recitatas fuisse; eo verò an. 1620. compositam primam & perpetuam formulam, qua nunc quoque usurparetur, nulla mentione Archiepiscopi Frustra testimonia allegari contra fidem instrumentorum. Et ex testium plusquam triginta effatis, septendecim tantum excerptisse Commissarios, hominum simplicissimorum & senio confectorum, qui non servato ordine juris properanter auditi mira & sibi inter adversantia dixissent, neque quod nominari audivissent Johannem Suicardum Archiepiscopum, discrimen observassent, aut memoriâ tenuissent, inter preces pro persona & pro causa; denique aliquos jam dicta sua revocasse, & errorum agnovisse. Cum itaque decretum an. 1650. aut prorsus sine fundamento esset, aut sibi contradiceret, nisi ita intelligeretur, ut preces fierent eo modo eaque intentione, ut ante motus bellicos; id verò manifestissimum esset, ante motus bellicos nunquam pro persona Archiepiscopi, preces factas: negari non posse formulam, qua nunc exigeretur, noviter à B. Schmidburgio repertam esse, neque quatenquam obligari, ut alio modo aliaque intentione eam nunc conciperet.*

Propter se huc usq; Deum orasse, pro causa, i. e. ut successum daret componendis cum Emin. Archiepiscopo dissidiis. Neq; opponi posse transactionem novam, illi enim obstare defectus multiplices, non consensisse nempe omnes, quorum interest; aliquos Senatores palam contradixisse, reliquos non tam consensisse, quam ex metu & consternatione rem in medio reliquisse, aut conditionem sententiæ addidisse: Curatores vero populi, festinantes interrogatos, neq; iis integrum fuisse, tribules suos consulendi, quod ex lege civitatis in causis ejusmodi, imò longè minoribus, esset necessarium. Sui deniq; nullam rationem habitam, qui aliquam tamen partem civitatis & maximam consilii Ecclesiastici facerent. Existimare itaq; se, auctoritatem judicati an. 1650. consistere non posse in falso fundamento, observantiam enim anni 1624. nunquam probatam, infirmari etiam adjectis verbis: ea intentione & modo, quo ante motus, quia de intentione & modo ex authentica formulâ an. 1615 ita planè constat, ut de ea dubitari non possit. Se itaq; in dispositione pacis publicæ merito acquiescere, neq; suam operam prestituros esse, ut ab anchorâ illâ libertatis suæ avulsi, transactionum novarum & periculosissimarum scopulis illiderentur, aut securitatem suam quærerent, in promissis ambiguis artificiosè compositis, & variâ interpretationi obnoxiiis: nunquam satis caveri verbis, si facta ipsa, quod jam experiundo didicerint, eò tendant, ut sensim & per partes attractâ omni in urbe potestate, tandem sub arbitrio alieno precarium haberent conscientia & religionis suæ usum. Hæc atque alia multa nequidquam obtestante atque minas & promissa miscente Commissario allegabant.

§. 58. Inter hæc scripserant ad Senatum Saxoniam Duces, exprobratisque, quæ per annos proximos spretis melioribus consilijs publico cum damno egissent, has quoque preces inter fructus novati pessimo ausu status urbis, & auctæ conniventia magistratuum potestatis Moguntinæ referebant, atque ut ab iis introducendis sibi caverent, monebant; quod si ea esset transactionis firmitas, (omnia enim consensu civitatis & formâ legitimâ gesta esse nunciabantur,) ut ab eâ recedi non posset, horta-

bantur, ut etiam Sereniss. familiæ Saxonice, in precibus publicis rationem haberent, hoc enim in civitatis potestate esse, & documento fore, tum libertatis Ecclesiasticæ, tum observantiæ debitæ, quâ obstricti essent Principibus. His igitur literis Ecclesiasticæ eâtenus obsecundaturos se esse agebant, ut non nisi cum consensu Saxonorum Principum Protectorum civitatis & religionis, preces pro Archiepiscopo fieri deberent; dummodo prius universali approbatione Senatus & civium formula reciperetur, & urbi idoneè de securitate politica & Ecclesiastica caveretur. In his cum perseverarent, irritus discessit tunc Schmidburgius, & finito Magistratu Limprechtii, non jam Ecclesiasticæ tantum; sed Senatus & populus unanimi consensu recusare ceperunt illam precum formulam, & restitutionem in integrum contra transactionem metu & minis, infrequenti Senatu, non contentiente populo in tam urgore, ut quæ æqua obtinerent repetitis precibus Saxoniam Principes, ut apud Cæsaream Majestatem intercederent patrocinioque suo urbem complecterentur, implorabant. Atque hæc fuit, ut jam sermonis compendium faciamus, summa quæstionis in aula Cæsarea annis hisce duobus proximis ventilatæ; Nam Eminentissimi Archiepiscopi nomine vehementer allegata fuit auctoritas rei an. 1650. judicatæ, an. 1655. denuò confirmatæ, an. 1660. conventionem stabilitæ, duobus in superrescriptis Cæsareis ad finem perductæ. Qui hæc in controversiam vocabant Senatus præfides, & Syndici, rebellium & factiosorum infami nomine traducebantur, eoque tandem processum fuit, ut denuò & jam quartâ vice Commissarij Cæsaris in urbem mitterentur; Adversum hæc vero, & alia præterea contra libertatem suam attentata, civitas iteratis supplicationibus apud Cæsaream Majestatem instabat: Sereniss. Elector & Principes Saxonici, multis literis ad Cæsaream Majestatem scripris, ostendebat, quo hæc omnia tenderent. Litem agebat esse non de pace publicâ, aut ejus executione, sed de justitiâ transactionis Limprechtianæ, & de sensu decreti 1650. quæri etiâ an contra notoriâ an. 1624. observantiâ transigi possit, præsertim eò, quo hic factum esset modo, ab
homi-

hominibus obnoxiiis aut comminatione territis: neque aliud quidem desiderabatur in praesens, quam ut commissionum sumtuosissimarum & periculosissimarum onere levata civitas admitteretur ad deducendum gravamina sua, neque concederetur ut Archiepiscopo Moguntino omnia in urbe sub autoritate Caesarei nominis licerent, cum perniciose libertatis publicae, summoque cum damno jurium Saxoniorum.

§. 59. Cum verò nihil his permotus Augustissimus Caesar persisteret in sententia importunis precibus suggesta, rescriberetque, controversiam hanc secundum leges pacis publicae esse decisam & executioni mandandam: Saxoniarum Principes, modestiae singularis exemplum daturi, legationem ad Eminentissimum Electorem Moguntinum decreverunt, egregiam spe de prudentia & bonitate ejus, magnisque in Republicam meritis concepta, fore ut accuratè consideratis omnibus rixarum istarum causis & progressibus, via inveniretur illas honesta compositione finiendi. Proponebatur autem à Legatis Saxonice primò Sualbaci mense Julio, dein Francofurti & Moguntiae mense Octobri ann. 1662 totius conventionis ratio & scopus hunc in modum.

§. 60. Quoniam civitatis is esset situs, ea ab antiquo potentia, is denique genius, ut adversantibus sibi Principibus, aut civitate utrisque sese opponente, facile jura omnium multis incommodis affligi, imò in perpetuis suspicionibus ea evenire possint, ut neutri praestetur, quod debeat, aut urbs in tertii alicujus potestatem cadat: ea propter consultissimum esse, ut, utrinque examinata, quae liquidò alterutri parti competant jura, utriusque communi consilio stabiliantur & conserventur; statusque urbis, subducta factionum materie, & demto adminiculo, quod à simultate Principum sibi sumit, eum in modum formetur, in quo perpetuò quiescere, libertate ecclesiastica & politica frui, utrisque debita praestare, aut si id detrectet, facili negotio compesci possit. Hanc ratione Archiepiscopatus sui in urbe hac, utut distita, & Saxonice provinciae Principum voluntate & potentia è proximo, nunquam esse periculi-

taturum; suspicionum fomitem extingui: felicitati urbis, quae non ipsis tantum civibus, sed & Principibus utrinque sui emolumentum causam cordi esse deberet, consuli: & praecipue belli tempore caveri, ne specie obsequii alterutri partium praestandi, rem utriusque in casum daret; aut jure illo armorum & praesidii, à longo tempore suis auspiciis exercito, abutens, in aliorum veniret potestatem; unde fieri facilimè posset, factumque jam antea esset, ut neuter principum aequum ab illis impetraret. Ea propter convenientissimum esse, ut Archiepiscoporum liquida & certa jura agnoscant Saxoniarum Principes: vicissim Principum jura a quo animo admittant Archiepiscopi: Utrique verò civitati relinquunt, quae à tot seculis certa atque immota possederit. Si quae porro sint, de quibus controversia intercedat, vel vocabula mera esse, à quibus temperare sibi pacis causa omnes possint: vel si rem atque utilitatem contineant, murna opera amicè componi debere; eam offerre Saxoniarum Principes Archiepiscopo, eandemque ab illo expectare. At quoniam facilis esset ad discordias reditus, positus utrinque limitibus, intra quos consisti deberet, pacto singulari porro caveri posse, quo modo super extensione, interpretatione & executione istiusmodi jurium definitorum, oborta lites, sine convulsione pacis & concordiae componi queant. Teneri quidem Saxoniarum Principes ad tutelam civitati praestandam, etiam contra ipsum Archiepiscopum; (ut constat ex pactis protectoriis, & supra fuit explicatum.) At ne unquam hanc defensione opus sit, jam ultrò profiteri Principes, constitutis & definitis Archiepiscopi juribus, civitati ea invadenti nullum à se patrocinium expectandum esse, quin imò promissuros ipsis potius Archiepiscopis auxilium, ad conservanda, quae ipsis competere. Neque spernendum esse hoc officium, quod aliàs ad urbem intra alieni territorii fines conclusam, vires Archiepiscopi, in vitis Principibus, applicari non possint, sine aperto tumultu. Caesareae Majestatis autoritate jam saepius usum Archiepiscopum, multaque impetrasse, de quibus merito querantur civitas & Principes, ac tantò sumtu atque labore ita tamen non composuisse

ros suas, quin moribus publicis existentibus in discrimen venire possint. Compertum esse recentissimis exemplis, quàm nil firmum in favore vulgi, aut hominum è plebe ad summas functiones evectorum, collocari debeat. Quantò rectius facturum, si cum Principibus optimis, & nil nisi iusta & æqua postulantibus, imò in eius gratiam plura quàm unquam majores fecissent, admissuris, pacem perpetuò colat: urbi- que tandem, miserò modò vexatæ, quietem concedat, ex qua utique nulla utilitas sperari possit, si per continuas factiones & persecutio- nes, sumtusque *commissionum*, tandem vitis opibusque exhauriretur. Offerebatur præterea perpetua, etiam bello, aliis locis aliisque de causis, ex oriente, in hâc provinciâ pacis & concordia sponso, sive *guarantia*, ut vocant: & si novæ nascerentur similitates, sive inter Archiepiscopum & urbem; sive inter illum & Princi- pes; non jam, quod Majores nunquam sibi adimi fuissent passuri, arbitrium illud in controversiis definiendis vindicabatur, (de quo supra dixi- mus,) sed amica tantum interventio, in causis non omnibus, sed ad statum civitatis publi- cum, quietemque provinciæ pertinentibus; ad- dito pacto, ut si conveniri non posset, ad certos arbitros ex Principum Imperii ordine, res de- ferretur, faciliatque honestò modò, salvis legi- bus & conditionibus jam semel positis, deci- denda.

§. 61. Verùm enim verò utut hæc & optimâ mente proponerentur, & validis rationibus fir- marentur; nihil tamen præter inanes verborum contestationes, impetrari potuit; *nihil detra- ctum iri iuribus Saxonis, si qua haberent; cate- rum ut Principes quacunq; ratione ad rerum ur- banarum curam admitterentur, nullo modo ferri posse.* Quæ omnia ex fomite, illo æterno om- nium harum controversiarum profuebant; conceptâ nempe, de Principatu urbis univer- sali, (*von der Landsfürstl. Obrigkeit*) spe & opi- nione, cum qua nunquam consistere poterit, vel status Reipubl. Erfurtensis; vel quies Thu- ringiæ, & autoritas Saxonis Principum. Hoc errore, si liberari, & ad sinceram juris Mogun- gini & Saxonie considerationem deduci pos- sent, non tam ipse Eminentiſſimus, (cui curis

longè gravioribus pro communi Germaniæ sa- lute distracto, minimum sanè ex molestiis his- ce imputare cupiunt Principes) quàm ministri quidam, quibus ex discordiis his compendium quaeritur, & falsa quædam existimatio: facili & honestissimâ ratione, magno cum honore, lon- gèque majori commodo, & perpetuâ securitate transigi de re omni posset. At ut hæc opinio, alienique juris appetentia, (quæ omni nomini Saxonico, & provinciæ Thuringiæ, & civitati Erfurtensi tot peperit, porròque pariet, nisi ca- veatur, incommoda, in ipsos tamen autores, si qua est justitiæ vis, olim recasura,) decedat at- que civitatem, convenienti loco & ordine au- diri, ut ea, quæ hæctenus summatim indicavi- mus, evidentissimis rationibus & documentis stabiliantur.

§. 62. Possent præter hæc multa atque gravia allegari, quæ ad mitiora & pacatiora consilia movere possent Eminentiſſimi, omniumq; ejus ministrorum æqua sententium animum; sed brevitate professis currendum tantum est per summa rerum capita. Primùm sanè Moguntinæ metropoleos jus in Thuringia non regium aut Principale, sed ecclesiasticum fuit: neque ad hoc usque tempus quæſiti Principatus idoneus ostendi potest titulus: neque nomen Principis *des Landes Fürsten* olim unquam usurpatum; cum sufficere vilis esset titulus, *des Erb. Heerrn Domini hereditarii*; juxta quem, & Principum provincialium jus & civitatis libertas locum habere potest. Neq; quidquâ commodi ex affe- ctato hoc novo vocabulo ad Archiepiscopos pervenit, irritata potius civitate, ut jus suū tantò acrius observaret, & perire, quàm unquam in servitutem hanc consentire mallet Absurdum porrò non est, neque sine exemplo, esse civita- tes, quæ Dominos ejusmodi habeant & reve- reantur *hereditarios*, imò Reges potentissimos; nihilominus tamen libertate suâ utantur. Id, ut hic quoque fieret, ipse situs urbis effecit. Neque id diffiteretur Wolfgangus Archiepisco- pus, eum ad Cæsarem an. 1597. d. 11. Maij scri- beret; difficile fuisse Archiepiscopis in urbem, longè à se distitam & magnam, Imperium; itaque & tolerasse & concessisse multa Sena- tui ad vim imperii pertinentia. Imò si non alio,

alio, quàm cætera municipia, jure usa fuisset civitas, qui potuisset in eum splendorem excrefcere? quomodo tot pagos, quos utique oppido Moguntino nunquam concessissent Saxoniz Principes, adquirere? Quid e: gò iniquius, quàm ea, quæ ipsi, ut ajunt, Archiepiscopi, imò quæ Imperatores, & Landgravi Thuringiz, ut diplomata docent, ad hanc formam & potentiam urbis contulere, invento novi principatus vocabulo, uno veluti ictu confodere: aut interpretatiunculis illis forensibus de *cumulatione, revocatione privilegii, gratia*, aliisque, prorsus convellere; aut precaria, imò nulla facere?

§. 63. Moverunt hujuscemodi cogitationes industrium illum Moguntini juris propugnatorem Schvwindium, jam sæpius laudatum, ut multis rationibus congestis, in relatione illâ suâ secretâ, persuadere niteretur Hero suo, non aliam viam esse ad jus Moguntinum in urbe asserendum, quàm transactionem. Quanquam verò non ausus sit veritatem rei eatenus profiteri, ut diceret, quod nos statimus, & cuius æquo æstimatori probasse confidimus. Moguntina jura esse particularia, & particulariter adquireta; non negavit tamen, si quid universalis juris habuerint Moguntini præfules, ex his multum, irreparabili damno, perditum fuisse. Imprimis verò, (ut sunt verba ejus;) *Totam potestatem & administrationem, viresq; ad eam pertinentes, pervenisse ad Senatum: penes illum consistere omnem legum & Reip. vim, statumq; civitatis: Archiepiscopus, præter curiam (der Hof) sive prædium intra urbem, & quinque pagos extra illam, & aliquos redditus ex telonio, censibus, salis venditione, & jurisdictionis contentiose sportulis, nihil reliquum esse.* Causas ejus rei, in hypothesi tamen universalis Imperii, quod ille adstruit, nos negamus,) plures indagat & recenset; Ait nempe: *Aliquoties rebellasse civitatem, & in provincia socios reperisse, ut Archiepiscopi, ni omnia perdere maluerint, ad iniquas adacti fuerint transactiones: Accessisse schismata Præfulum, inter quæ, ab eo, qui civitatem in partes trahere voluerit, indulta fuerint plurima, cum damno rei*

Archiepiscopatus: Morem etiam solennis introitus [des Einritts] illis seculo magno æstimatum, hæud parum nocuisse Archiepiscopo; quod, antequam ingressus ille permitteretur, transigere de omnibus controversiis necesse haberent: Fuisse quoq; tempora, cum omnes redditus & jurisdictiones Archiepiscopalis Senatui pignori darentur, aut schismatis occasione occuparentur. Neq; sperendam illo tempore pecunia summam fuisse, quam non semel à civitate Archiepiscopi acceperint: Aliquando etiam, cum bellis vexarentur præfules, auxilia non exigua missa, quæ omnia atq; alia non immerito id effecerint, ut Senatus auctoritas atque potestas major & validior facta fuerit. Sola judiciaria functione, ex omnibus potestatis speciebus, Archiepiscopalis ministris relicta; quibus tamen nulla ad jurisdictionem tuendam vires manserint, omni exequendi potestate ad Senatum delata. Subjicit tandem, se per tot annos, quibus mandato Archiepiscopi unice Erfurtensia negotia tractaverit, summa fide & diligentia inquisivisse, & cum aliis se iulo communicasse, an in scriniis, quæ Erfurti sunt, aut in ipso archivo Reverendissimi quidquam reperiri atque erui posset, quò potestas Moguntina stabiliri, Senatus verò imperium infringi videretur, sed contrarium deprehendisse, omnia nimirum, quæ ad vim imperii pertinerent, in Senatus potestate atq; manserint posita.

§. 64. Hæc non eò allegantur, ut agnoscamus, quasi Senatus urbis Archiepiscopis potestatem suam acceptam ferre debeat, nam ut id credamus, probari prius debet, eam unquam in Archiepiscoporum Dominio atque possessione fuisse, sed ut clarum fiat, etiam ex illâ hypothefi, mitiora atque moderatiora consilia expectari debere, quàm quæ postremis hisce motibus acrius indies erumpunt; atque eò tendunt, ut quæ ante tot secula, ex illorum etiam asserto, neglecta, vendita, & transactione alienata fuerunt, variis artibus retrahantur. Inter quas primaria est illa, ut, excitatis in urbe discordiis, patrocinium præstetur pessimis & turbidissimis, qui ad dignitates & opes; cum damno reipubl. festinant, atq; dum eas obtineant, liberales sunt

de

de republica, ejusque dignitatem & libertatem cupiditati suæ posthabent. Horum itaque operâ transactiones damnosæ civitati, sed fructuosæ & proficue Archiepiscopis ineuntur; quas, si dein cæteri cives, aut ipsi novatores, cum satiati respiscunt, aut intempestivo premuntur servitio, retractatum eunt, tunc apud Cæsar. Majest. legiruparum, turbatorum & factiosorum nomine accusati, missis in urbem Commissariis, compescuntur: evectis aliis, qui dulcitudine munerum & salariorum delinuti, eandem quærunt viam. At periculo præsentiori hæc aguntur, quando tota civitas, aut maxima ejus pars ad pristinam adspirat libertatem, & quæ in ejus damnum gesta atque transacta esse dicuntur, impugnat. Inde enim jus summum nasci putatur Archiepiscopis, ut quemadmodum nuper factum est, urbem totam rebellionis, non tam contra se, quàm contra ipsum Augustissimum Imperatorem, ream faciant, abolitionem omnium privilegiorum postulent, imò proscriptionem, & vim bellicam, quæ ad obsequium refractarii adigantur, procurent. Hic enim fuit ultimus scenæ hujus actus, non nisi cum deplorabili civitatis interitu exercendus.

§. 65. Etenim frustra tentatis pacis & concordie rationibus, frustra etiam imploratâ Cæsarea Majestate, ut cognitionem potius causæ, quàm executionem decerneret; nihilominus sub finem anni proximè præteriti, missi in urbem Commissarii, is quem sæpè nominavimus Baro Schmidburgius, & D. Johannes Jacobus Goppoldus, aulæ Cæsareæ Consiliarius, prolatis Imperatoriis literis, civitati injuaxerunt, ut intra mensem preces, de quibus ann 1660. conventum esse ferebant, fieri curaret: tùm Consulares duos Hallenhorstum & Kniphosium, cum quibus Archiepiscopus in gratiam rediisse dicebatur, in Senatùm restituerent. At cum hõc spatio indulo usura videretur civitas, ad humilimas apud Cæsarem supplicationes, & implorationem Principum Saxoniorum; vix triduum quievit Schmidburgius, sed convocato sæpius Senatu & curatoribus civium, de ira Cæsaris Augustissimi, de potentiâ Eminentissimi Electoris, ejusque fœderatorum concio-

natus, minas atque persuasiones variè miscbat. Imprimis verò Consuli ejus anni Jacobo Bergero, & Syndico Joh. Jacobo Aviano, à quibus pendere civium animos existimabar, extremum supplicium hortendo modo multoties denunciabat. Inter hæc, missi à Sereniss. Electore, & cæteris Saxoniarum Ducibus Legati, qui populum hortarentur, ut imperata faceret, spem facientes, fore, ut ab Eminentiss. Electore promissum interponeretur, neque precibus illis, neque restitutione Consulium, juri atque libertati urbis aliquid derogatum iri, scriptumque fuit eum in finem ad Cæsaream Majestatem, & ad ipsum Eminentissimum, tùm à civitate tùm à Sereniss. Principibus; allegatis, quæ idonea viderentur ad declarationem illam, sive promissionem impetrandam. Cum verò magno labore eò induxissent Senatùm & tribunos populi, ut sub finem mensis præteriti d. 24. Januarii, ita se facturos esse, scripto pollicerentur Commissariis Cæsareis, Hi non sufficere hæc dictitantes, re ipsa partitionem injungebant; repetitis semper à Schmidburgio ingentibus minis, quibus non mitigati, sed exacerbati civium animi, in ea indies firmabantur opinione, civitati exitium intendi, preces verò & Consulium, restitutionem obtentui sumi. Post plures septimanas cum neque à Cæsarea Majestate, neque ab Eminentiss. Moguntino responderetur, interim verò alter Commissarius Dn. Goppoldus cum Sculteto Moguntino Viennam profectus esset, Principes Saxonici rati, quod res erat, Augustissimum Imperatorem, sollicitatum ab alterâ parte, nihil aut parum gratificaturum esse civitati, consulere potius Majestati nominis Cæsarei, & securitati publicæ, quam suis rebus, statuerunt. Repetebant itaque adhortationes, additis promissis, si non impetraretur in aulâ Cæsareâ aut Moguntinâ, ut ante partitionem declaratio, quam desiderabant, fieret, se tamen *jure protectionis* curaturos, ne civitati damnum ex illa partitione nasceretur; Ita, non sine magno legatorum labore, victa civium obstinatio; ut, festo Paschatis proximè præterito, preces illas, hæctenus negatas, pro persona Eminentissimi Archiepiscopi publicè ex omnibus Augustanæ Confessionis templo-

rum

rum pulpitis intra urbem facerent. Verum, cum in preceationis formula quædam ex illâ, quæ anno 1660. transacta dicebatur, omisissent, alia verò addidissent: tum imprimis suâ sponte, nemine jubente, communi consensu statuerent, ut post Eminentissimum Moguntinum, etiam Serenissimorum Saxonie Electoris & Principum mentio in preceatione fieret; Schmidburgius partitionem illam omnibus modis improbat; Imò decreto pœnali, prorsus sed frustra inhibuit, nullo utique mandato Cæsaris, memor tantum propositi, quod semel susceptum, deserendum non putabat,

§. 66. Paulò post redux Viennâ Dn. Gopoldus nova Cæsareæ Majestatis mandata attulit, rescripta etiam ejusdem ad Saxonie Principes, eo sensu: *Cæsaream Majestatem secundum instrumentum pacis, & decreta Commissariorum suorum, ut & transactionem an 1660. initiam, aliter quàm fecerit, quod preces attineret, statuere non posse: neq; restitutionem duorum Consularium, ab ipso Senatu dudum petitam, jure nunc recusari; civitatem itaq; quòd non paruisset mandatis, pœnam meruisse: Neq; declarationem, ante partitionem honestè desiderari; nihilominus tamen Electorem Moguntinum jam coram Cæsare professum esse: Ipsam etiam Cæsaream Majestatem profiteri atq; declarare: Neq; civitati, neq; Principibus Saxonie, ea quæ hæctenus pronuntiata & mandata essent, ullo damno aut præjudicio, siue in Ecclesiasticis siue in Politicis futura; de cætero hortari, ut Erfurtenses ad parendum compellant, neq; executionem impediant, quam contra non obediētes facere constituisset: se tamen in gratiam Saxon. Principum mandasse, ut Commissarii aliquod spatium ad parendum & evitandum imminentes pœnas, civitati indulgerent.* Hæc literæ Augustissimi Cæsaris, et si præsupponerent ea, quæ hæctenus impugnaverant negaveratque civitas, atque in ijs se non satis auditam querebatur, nihilominus, quòd de mente Cæsareæ Majestatis luculentum præberent testimonium, neq; quidquam amplius continerent, quòd gravare civitatem posset in alijs, de quibus suspiciones obortæ erant, eò facilè moverunt Principes, ut legatos denuò in urbem

mittere, & si reniteretur plebs, partitionem procurare constituerent. Verum ea fuit festinatio Dn. Schmidburgij, ut, pro omni gratia atque dilatione, cujus spem Cæsare fecerat, triduum statueret civitati, intra quod tempus Principes nullo modo vel inter se, quid agendum foret, consultare, vel civitati aliquid mandare poterant. Imò ipsa civitas, (decretis illis, de quibus supra diximus, in statum prorsus democraticum mutata,) ad plebem per tribus & curias convocandam, & sententias interrogandas, aliasque Senatorii ordinis deliberationes spatium non habebat; quòd tamen, exacerbatum per tot minas atque nova indies postulata necessarium erat. Addiderat enim Schmidburgius, à Bergero & Aviano exhibenda esse mandata & promissa, à Senatu & tribunis subscripta, quibus acta illorum probabantur, & de indemnitate cavebatur: statim etiam successionem novi Senatus fieri debere, quam, etsi alias legibus conformis esset, communi tamen statuto, ut Bergeri Magistratum continuaret, jure suo inhibuerat civitas. Sic elapso triduo, in curiam progressi Commissarii, die 2. 12. Maji, cum prius dicis causa interrogassent, an paritum esset jussis suis? atque responsum tulissent, fieri id intra tam angustum trium dierum terminos non potuisse, orare verò civitatem humilimè, ut breve aliquod tempus indulgeretur, ad consilia & mandata Principum Saxonie protectorum suorum expectanda, nihil moti precibus Senatorum & civium, sententiam ex aulâ Cæsareâ transmissam publicari jusserunt. In ea decernebatur: *Senatum, quòd pronuntiatum & decretis prioribus, de precibus introducendis & Consulibus restituendis, non paruisset, pœnam decretis adjectam incurrisse; id est 50. Marcas auri siue imperiales 4800. solvere debere.* His auditis & quæ à Barone Schmidburgio porro miacacia atq; dura adjiciebantur; tribuni civium non territi, sed exasperati, multò minùs se parituros esse, non obscure restabantur, addito; *Si quid contra urbem decerneretur, se ultionem sumturos de ijs, quorum culpâ hæc omnia evenissent.* Quibus cum Limprechtum apertè designarent, acriter increpiti à Schmidburgio, maximo illius patrono, turbidis tamen atq; commotissimis animis discessere.

§. 67. Serenissimi Saxoniz Duces, etsi hac festinatione manifestò sibi perire viderent tempus & locum, gratiâ Cæsareâ, cujus spem ex literis conceperant, ad salutem civitatis utendi, neque jam obscurum esset, quo hæc omnia tenderent, nempe non tam ad preces introducendas, aut duos illos Consules restituendos, (nam ex his nulla aut exigua utilitas ad Archiepiscopum pervenire poterat,) quam ut occasio quaereretur, urbem in extremum discrimen præcipitandi: Tantò majori sollicitudine, ad tuendam quietem publicam, & clientium suorum conservationem, convertebantur. Distinctis itaque prudenter, quæ sententia Cæsaris continebantur, à cæteris, quæ ad nutum Moguntinorum quotidie postulabat Schmidburgius, autores Senatui fuerunt, ut absque morâ ad preces juxta formulam an. 1660. faciendas & recipiendos Consules accingerentur, cætera quæ exigebantur, ejus naturæ esse, ut Cæsarea Majestas deinde de his informata, non averfante sit intercessionibus Principum atque humilimas afflictæ civitates preces. Et licet optimo maximoque jure, publicæ in Ecclesiasticis rebus libertatis, preces pro Saxonica familiâ civitas nuper facere cœpisset, ostendebant tamen Principes, se graviter non laturus, si hoc tempore omitterentur. Ad hæc Senatus universus, & è tribunis plurimi & moderatissimi, Ecclesiasticæ etiam, promptos se ostendebant, & libello Commissariis porrecto id profitebantur, modum verò tantum & temporis aliquod interstitium quærebant, quo populi adversus hæc concitati zelus deferveret. Verum enim verò plebs nihil horum omnium admittere voluit, neque novi Senatus successionem pati. antequam certissimè constaret, nihil amplius contra illos, quos nominatim ad causam dicendam poscebant Commissarii, neque contra civitatem statutum decretumve iri, in eo quoque persistebant, retinendam esse precum formulam, non quæ an. 1660. Limplrechtò annitente esset concepta, sed quam consensu civitatis nupero Paschatis festo introduxissent. Neque omitti posse mentionem Saxoniz Principum, quam communi consilio formulæ addidissent; nam si id facerent, publicum documentum edi, quam

nulla amplius libertate uteretur civitas: Denique neque mulctam, neque impensas Commissionis Cæsareæ soluturos se esse, apertè contestabantur.

§. 68. Hoc rerum statu æquissimum utique esset, ut quoniam fervore atque artibus ministrorum Moguntinorum, & civium quorundam culpâ, hæc omnia concitata erant, salutis tot hominum ratio haberetur, tempusque indulgeretur, quo residerent animi, adversariorum potius, quam suo vitio commoti; Sed sive moræ impatiens sive hac occasione, quæ semel destinaverat, perfecturus Baro Schmidburgius, incertum an consentiente collega, urgere perstitit Senatum, cujus nulla jam restabat auctoritas, multò magis verò ipsum populum: Convocatis enim ex singulis tribubus aliquot, cum multa dixisset, quæ ad eos persuadendos facere credebatur, plurima tamen intermisit, quibus illi majorem in modum irritarentur, & quoniam totius causæ, quod preces attinet, fundamentum in transactione illâ, se procurante an. 1660. initâ, ponebat, populus ejus ordinem & progressum in memoriam revocant, in Limplrechtum summopere irritatus fuit, eumque ad causam dicendam in curiam, quâ toto hoc tempore abstinerat, vocavit, eo quidem cum affectu, ut cum Limplrechtus non in curiam, sed ad Commissarios Cæsareos iret, cives magno numero apud eosdem sese congregarent. Itaque cedendum huic impetui erat, & Limplrechtus in curiam ab ipsis Commissariis tandem ire jussus, præpollente mitioribus consiliis plebis ardore, in custodia habitus est, & Senatu jam frustra contranitente examinari cœpit jussu populi, de plurimis, quæ contra Rem publicam fecisse dicebatur; Imprimis verò de vitiis, quæ in transactione an. 1660. intervenisse credebantur, ab usu sigilli publici; & confictio civitatis consensu. His mori Commissarii Cæsaris, & pejora veriti, urbe excesserunt, festo Pentecostes nupero; subduxit se etiam Sculterus Moguntinus, cui non minimam malorum suorum causam imputant cives. Neque jam moderari quidquam expectari potest à plebe, magistratibus parum moderatâ, cum præsertim non tam ad componendas turbas, quam ad exasperandos animos post-

lon-

longam patientiam in furorem actos faciat, quod Commissarii horribili præcepto pronunciant, ut Limprechtum dimittat, & intra triduum imperata omnia faciat. In quo mirari licet, cum intra dies octo tale quidpiam à Cæsareâ Majestate illis mandari nequiverit, quo jure decreto illo suo non tantum pœnam 100. Marcarum auri, sed & amissionis omnium privilegiorum, addere potuerint, quæ si exequenda est, non tantum Reipublicæ hujus formam, tot seculis utcunque servatam, prorsus atque planissimè sine ullâ causæ cognitione, sonitumque & insontium distinctione, convelleret, sed & Saxonorum Principum jura, itidem sine ullâ judicii formâ, uno quasi ictu prosterneret. Nam sine privilegiis & libertate Civitatis nihil præstari potest Principibus, quæ jure protectionis & fœderis pace belloque iis debentur; neque Civitati conservari, quæ à Principibus

habet. Agitur etiam, de vita & fortunis, non unius alteriusve, sed multorum millium, agitur de autoritate Augustissimi nominis Cæsarei, & de ipsius Eminentissimi existimatione. Neque enim adeo spernenda est urbs, & magnitudine & munimentis valida, &, ut jam res sunt, ab hominibus in desperationem adactis propugnata. Maximè verò periclitatur Salus & securitas provinciarum Saxoniarum, nam intra has perpendendum est iis, qui urbem armis sunt aggressuri. Et quod gravissimum est, neque legibus Imperii conveniens, parti ipsi, i. e. Eminentissimo Moguntino, delata dicitur omnis exequendi potestas; Quod impelletur ab autoribus horum consiliorum, ut nihil omissurus sit eorum, quæ ad dominationem illam, tot seculis concupitam, aut alia quoque diu agitata pertinere videbuntur,

HÆc atque alia cum videant atque deprehendant Serenissimi Elector & ceteri Saxoniarum Duces, Thuringiarum Principes; quoniam quæ ad hunc usque diem ad Cæsaream Majestatem scripserunt, gratiâ & potentiâ alterius partis eliduntur; alia ratione paci publicæ & juri suo prospici non posse, existimant, quàm si Electores, Principes & Status Imperii, in Comitibus nunc congregati, atque hoc scripto decenter compellati, hoc negotiû ad animos suos revocaverint, dignumque judicaverint, quod Cæsareæ Majestati eo fine commendetur, ut ommissa executione, eo, quo narratum est, modo illi extortâ, nominent ex statibus Imperii, utrique religioni addictis, autoritate tantis rebus & partibus pares, qui promptè de causa instructi, viam inveniant, qua motus componantur, urbs in antiquum statum restituatur. Principibus, quorum interest, jura sua intacta serventur, & si qui pœnam commeriti sunt, ordine juris servata, & sine periculo Reipubl. aut tertii nihil commeriti, eâ afficiantur. Quod si impetraverint, ut jure fieri debere confidunt, non ipsi tantum acquiescent in veteribus jurium suorum terminis, sed & ut satisfiat Eminentissimo Moguntino in omnibus, quæ justè & honestè desiderare potest, candidè & diligenter curabunt.



5655

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

VD 17
71.0



191.
Nr. 162. 7

JUSTITIA PROTECTIO
IN CIVITATE ERFFURTENSIS

Brevis expositio in qua

QUOD
SERENISSIMO

ELECTOR ET

XONIAE, &c. THEODORICI

LANDGRAVI

More majorum, & secundum Imperatoris
Constitutiones merito

Adtuendum pristinum Statum libertatis

ET

Tollenda ea, qua adversus veterem & legem
Ejusdemq; & singulorum civium
deprehenduntur

§. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20.



Nunc agitur sextus decimus, cum occasione tractatum pacis universalis, & mox orta inter Senatum populumq; Erfurtensem simultate primo, dein lite manifestata, simul etiam re- crudescere coeperunt inter EMINENTISSIMUM REVERENDISSIMUMque ARCHIEPISCOPUM MOGUNTINUM & SERENISSIMAM DOMUM SAXONICAM veteres controversiae, magnis olim moribus tractatae. His tempestive componendis multa quidem, & quod de animo atque consilio suo asseverare possunt Saxoniae Principes, salutaria & idonea quaesita sunt remedia; Neque aliud actum, quam ut aut amice & cum perpetuae concordiae spe transigeretur, aut aequo iudicio de re omni disceptare liceret. Horum utrumvis ad hunc usque diem frustra desiderant, petunt, postulantque Serenissimus Elector & caeteri

Saxoniam obtinere perniciosa Caesarum culpa Caesariis a scriptis publicis pellantur, Principibus non est dictum ad amveniat; quidq;



35

3

